
756830



Dupl. ~~750,757~~ 47

Ex
Libris Joannis Frank.

Hist. prof. 6. Decke.

13. M. 2190. V.

LIV 8
0006

DE SACRÆ CORONÆ REGNI HUNGARIÆ Ortu, Virtute, Victoria, Fortuna.

BREVIS

COMMENTARIUS.

Ad noſtra usque tempora continuatus.

PETRI DE REWA,
COMITIS COMITATUS
DE TUROCZ.

TYRNAVIÆ,
Typis Academicis per Leopoldum Berger,
Anno 1732.

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECZEN

Sacra Angelica, et Apostolica Regni Hungariæ Corona



NOBILE CÆLIGENO RESPLENDENS LUMINE SYDUS
DIGNIUS ANNE POLO, DIGNIUS ANNE SOLO
FULGE SIC PATRIÆ NE FATI SERA POTESTAS
TE CÆLI RURSUS COGAT ADIRE LARES

Martin: Prokes Scul: Tyrnavia

D. O. M. A.

SACRÆ, ANTIQUISSIMÆ,

GLORIOSISSIMÆ

CORONÆ

REGNI HUNGARIÆ

Duce, Vindice, Fautore.

CÆSARE INVICTISSIMO

ET POTENTISS: D.D.

MATTHIA

IMPERATORE ROMANORUM,

REGE HUNGARIÆ

FELICIS

SINE MARTE CRUENTO,

SINE FLEBILI LAMENTO,

SINE GRANDI AERE,

SINE CIVILI FURORE,

PROSPERRIMO ARMORUM AD
PRAGAM LUSU LUXUQUE.
SUMMA GENTIUM MULTARUM
LÆTITIA CORAM PALAMQUE
RESIGNATÆ.
ET HUNGARIÆ CORONATIONE PERACTA,
FIDELITER AC FELICITER.
POST ANNOS FERE SEPTUAGINTA QUIBUS
IN TUTELA ET PATROCINIO
AUGUSTISSIMÆ DOMUS AUSTRIACÆ
LATERET ET REQUIESCERET
BELLO CIVILI ET TURCICO
OCCUPATA HUNGARIA.
FELICITATE, ET VICTORIA
PARTIM INTERPOLATA:
PARTIM TUTA RATAQUE:
RESTITUTÆ.
ANNO M. DC. VIII.
TANDEM ETIAM DEO FAVENTE
MUNERE CORONATIONIS
SANCTISS.

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

SERE-

SERENISSIMÆ ET POTEN-
TISSIMÆ AUGUSTÆ
D. D.
ANNÆ
IMPERATRIC: ROMANORUM,
REGINÆ HUNGARIÆ
PIENTISS:
ANNO M. DC. XIII.
PERFUNCTÆ
TANQUAM
PRECIOSO HUNGARIÆ CIMILIO,
AUGUSTO SACRI CAPITIS ORNAMENTO,
SANCTO RELIGIONIS LEGUMQUE AUGMENTO
PROSPERO BELLI PACIS AUCTORAMENTO,
CERTO FORTUNÆ BONÆ MALÆQUE
DOCUMENTO.
DENIQUE
INCLYTÆ, MERITISS: FORTISS:
BELLICOSISS: GENTIS HUNGARICÆ
OPTIMATUM ET POPULI ÆTERNO
GLORIÆ FIRMAMENTO.

)?(3 *HOC*

HOC

EXIGUUM DILIGENTIÆ DONUM,
SANCTUM HONORIS DICTAMEN,
MERITUM OBSERVANTIÆ PIGNUS,
ÆTERNUM CUSTODIÆ MONUMENTUM,
VERA FIDE SCRIPTUM
VERITATE FIDA FACTUM,
DIGNO AMORE PATRIÆ,
VOTO FIDELITATIS PERPETUO,
POSONII SEDE PATRIA,
PACIS TEMPORE GRATISSIMO,
REGNANTI ET RESI-
DENTI.
ANNO M. DC. XIII. F.
D. D. C.

PETRUS DE REWA,
COMES TUROCENSIS
S. C. DUUMVIR.

AUTOR

AUTOR
Ad Lectorem.

CUm omnes ij, Candide Lector, qui scita gentium, moresque populorum, dicta & facta memoratu digna literarum monumentis prodere solent, optimè de genere humano mereri videntur, dum in orationis splendore, non solùm fabularum quærunt amœnitatem, : sed rerum gestarum veritatem & memoriam complectantur : meritò illorum conatus & labores non solùm laudem, & commendationem, sed etiam favorem & gratiam mereri debent. Id mihi nescio quâ meâ fortunâ contigit : ut dum hactenus inter summos belli & pacis labores, ac Reipublicæ, occupationes, quibus jam ab annis aliquot (absit dicto laus propria) patriæ meæ Hungariæ, ac Regibus meis ac Dominis clementissimis fideliter servio, versabar, quasi ab altiori mente quadam influxit, ut brevem Commentarium de Sancta Regni Hungariæ Corona, (cujus impræsentiarum Conservationis munus sustineo) horis nimirùm à gravioribus curis, privato otio consecratis, collegissem. Illum ego ob solius mei amoris ac studij ergà religionem sacræ Coronæ solam causam, mihimet ipsi retinere, ac inter privatas Musas collocare, perpetuo situ obscurare volebam, nisi summorum in Republ. nostra virorum, & præterea quorundam Musas nostras similes amantium & colentium judicio, ac impulsu luci committere invitus voluissem. At verò mihi hoc loco & gradu constituto, nihil detractum putem, quòd à severioribus curis, consilijsque Reipub: *velatâ quasi personâ* ad amœnius hoc literarum studium deflexerim

flexerim. Literæ profectò, & historiarum cognitio ita ornant virum etiam principem : ut sinè ijs non vir, sed viri simulacrum : non princeps, sed principis idolum meritò censeri debet. Ab his igitur ut paterna institutione nunquam abhorrui : ita privatim meæ gentis familia, quæ DEI beneficio *à trecentis ferè annis* gravissimis Reipubl : honoribus inserta HUNGARIA floret præcipuum ornamentum literas : & literarum literatorúmque favorem&amorem palmarium facinus semper duxerat. Nam quod ad *COMMENTARIVM* meum attinet, verè habet, quod *titulo* præfert. Nihil enim est, quàm *brevissima de S. Corona narratio*, quam *stylo plano & simplici* ita pertexui : ut quicquid de eadem piè & commodè ab *Authoribus* alijs dici potuit, quasi *compendio* reperiretur. Etsi enim non dubitem *Doctoribus Jurisperitis* patriæ nostræ supervacaneam hanc meam esse operam : at non pauci reperiuntur, qui nihil Olei ad hanc Lucernam conferunt, nec solùm aliquid solemnis ea de re habent, sed quod *veritate historicâ* coacti CORONAM SACRAM, ANGELICAM, APOSTOLICAM & simplicibus nominibus appellamus, rident fortè & ringuntur. Nostræ igitur genti hoc SACRUM esse volui, vel ad præteritarum rerum memoriam recolendam, vel ad futurorum memoriam recolendam, vel ad futurorum præsentiam cum præteritis comparando, cautelam formandam, dum & aliæ gentes optimè cognoscere possent, quanam de causa nos *Hungari Religionem hanc nostræ CORONÆ* dicamus & profiteamur. Sat dixi pro meo *Commentario*, si tibi mora lubet legendo. Sat mihi à linguis præsidij in majestate & religione S. CORONÆ. Sat hoc qualiscunque meæ fidei, & provinciæ documenti, ad sera nepotum secula. *Vale Lector.*

EPIGRAMMA
IN COMMENTARIUM
ILLUSTRISS : COM: P. R.

UT Comitis PETRI Gestorum nobile donum
Ex aditis cernit, Sacra Corona refert.
Liberat Arctoo Divus me carcere Cæsar,
Atque triumphali patriæ honore locat.
At Comes ex senis seclorum vindicat umbris
Et decus, & laudis mille decora meæ.

PETRI RÉVVAI COMITIS *COMMENTARIUS DE S. CORONA.*

SI qua unquam natio bellica claruit virtute, non imparem naturâ primùm, ac institutione, deindè etiam sacra professione, eximiæ fortitudinis laudem Hungari sibi vendicare haud immeritò videntur. Etenim dum adhuc eorum *Aborigines Hunni* in Cimmeriis Ethnicæ superstitionis hærerent tenebris, brevi temporis intercapedine, magnóque successu, & fertilissimum Pannoniæ solum, in suam redegerunt potestatem, & in *Misia*, *Thracia*, *Macedonia*, *Illyrio*, *Germania*, *Gallia*, *Italia*, bella gesserunt gravissima. Postquam verò Christo nomen dedêre. Ut

Exordium à laude Hungarorum.

Frangit, & attollit vires in milite causa:

virtus,& animus accrevit,& in dies tantò incrementa accepit majora, quantò ardentiore agnitæ fidei Christianæ, & pietatis amore flagrarent, hostibúsque suis, nunquam non formidini, & ingenti terrori, Rempub. Christianam tutarentur strenuè,fortissiméque. Idcirco non injuriâ *fidei clypeus*, *religionis murus* (utut livor hoc, aut premit, aut dissimulat) *propugnaculum Christianorum invictum*, nominari consueverunt. Si victorias, si triumphos, quos à Turcis reportârunt, si Provincias, non tam subjugando, quàm acquisitas defendendo, & totius Christianitatis belli molem, in se recipiendo, si trophæa gloriosa recensere consilium esset, latissimus dicendi campus mihi aperiretur. Verùm de *Sacro Diademate Hungariæ* gentis bellicosissimæ, *de Origine ejus, successu, fortunáque*, secundùm seriem Regum, totos sexcentos annos, quibus *Monarchia Hungarorum* floret, paucis in unum quasi fasciculum collecta, quæ passim hanc in rem, ex classicorum autorum, horis succisivis, lectione memorabilia occurrebant, stylo simplici, atque laconico comprehendere decrevi, partim sacræ Coronæ religione permotus: partim rei indignitate extimulatus, quòd nimirum viderem, fatali incuria nostros scriptores, hac de re, vel par-

Propositio summæ commentari,.

Causæ scripti.

parciùs scripsisse, vel planè silentiô præteriisse, nihil ferè moratus judiciorum varietatem, cui recti conscientiam, & pium hoc erga S. Coronam studium opponere non vereor. Favente igitur Deo rem aggredior.

POstquam natio Hungarica, Divina sic moderante providentia, gentilibus tenebris desertis, Christianorum albo adscripta, profanæ nuncium misisset superstitioni, mirô omnium Europæorum gaudiô, ac lætitiâ, excepta hæc conversio, & ingens fidelium fuit incrementum, siquidem *Christi fides virtutum omnium est fundamentum.* Etenim quantas religionis diversitas, turbas movere soleat, & fovere perpetuas, notius (proh!) nimis est, quàm, ut hic multis recenseri debeat. Factum ergo præclarè, quòd gens *Hungarorum* populosissima, ac bellicosa, alioquin hostibus suâpte naturâ implacabilis, novô hoc pietatis consortiô, vetera odia, in mutuam Christianámque benevolentiam converterit, robúrque suum, & arma, cum reliquis Christianis, quibusvis hostibus oppoſuerit. Ab hacce salutari cœlestis veritatis origine, *ortum* quoque sive *initium* suum *sancta* hæc CORONA, & patria nostra Regium sortita est titulum.

Origo fidei Christianæ in Hungaria.

Gratissima Christianis.

Utilissima populis.

Simul & ortus Sacræ Coronæ conjunctus.

Primordia religionis à Carolo Magno.

ETsi autem non ignorem, MAGNO CAROLO imperante, *Hungariam* hujus orthodoxæ fidei rudimenta habuisse; at quoniam hac non imbuti probè: (*ùt initia omnia difficilia sunt*) sed leviter tincti tantùm animi *Hungarorum*, aut quod bellicæ calamitatis necessitate adacti fuêre, factum est, è vivis hoc discedente, obortis domi motibus, ad pristinas delapsis tenebras, illa facilè sint in tanta extincta feritate, & abolita; donec postmodum in restaurandis fidei Christianæ collapsis fundamentis GEIZA primùm, deinde STEPHANUS filius zelo admirabili actus, non ipse modò religionem Christianam professus est, ardentissimè, constantissiméque: verùm etiam apud indomitam gentem, longè, latéque Divinâ potentiâ adjutus plantavit, propagavítque, Templa, & Ecclesias magnis impensis erexit amplissimas. Quapropter extitit adversùs suos, & Christi hostes felicissimus, imperium suum victis hostibus plurimùm auxit, stabiliit, éxque dignitate Ducali ad Regium fastigium evectus, augustali ornamento decoratus est, quo quidem *Regio Diademate*, an inter omnia omnium Regnorum regalia insignia, aliud præclarius, & religiosius magis sit, dubito?

Sed posteà interpolata & variata.

Autore Duce Stephano nova lux ipsius affulsit.

Fundatore cultûs divini piissimo.

Primo Rege Augusto.

Sancta Corona emicuit.

Ete-

ETenim cùm circa eadem tempora pietate, atque operâ MIESCONIS, quem aliter MIECESLAUM annales POLONICI appellant, religio, & cultus Christianus non minora incrementa in *Polonia* cœpit, & ZIEMOMISLI, *Principis Poloniæ* fuisse filium cœcum ab exordio suæ nativitatis, ætatis annô septimô oculorum beneficium consecutum fuisse legimus, unde vaticinabatur ætas illa hujus sub imperio mirabiliter *Poloniam* illustratum iri. Eo itaque omine MIECESLAI *quòd nimirum* genti *suæ gloriam gladiô comparaturus esset*, nomen impositum extitit, neque prorsus vana, ac inani spe eorum, quippe repudiato falso Deorum cultu, more Christiano sacro fonte ablutus, religionem Christianam amplexus est, & gentis cœcitate (quam septennis ipsius cœcitas fortè præfigurabat) depulsa, luce, ac splendore Divini numinis *Poloniam* illustravit, sícque *gladiô Spiritûs, quod est verbum Dei, corda hominum, atque mentes feriens, atque penetrans* gloriam *Polonis* perpetuam peperit. Hic inquam MIECESLAUS simili cum nostro DIVO STEPHANO contendens palma, augustiorem Principatum relicturus posteris, BENEDICTUM SEPTIMUM PONTIFICEM ROMANUM per legatum

Magnum in Polonia miraculum

Conversio ad fidem Christianam.

Expetita Corona à Miecesl.ao.

Revelatione Angelica missa Divo Stephano.

gatum LAMPERTUM EPISCOPUM CRACOVIENSEM adiit, Regium nomen, Diademáque sibi, & Successoribus petitum. At PONTIFEX huic destinatam, divo cœlitus monente Genio, mutatô consiliô, per ARCHIEPISCOPUM COLOCENSEM STEPHANO DUCI *Coronam annô æræ Christianæ millesimô*, unà cum *cruce gemina* Regi Hungariæ præferenda transmisit. *Crux hæc expectandarum adversitatum præludium, & symbolum*, nescio temporumnè injuriâ, an hominum potiùs incuriâ, amissa desideratur? auctis ejus locò hucusque grassantibus calamitatibus, ità, ut *Ungariam* non omnino abs re *Angariam*, *quod illam perpetuo angore agi oporteat*, quidam alius dixerit. Ipsa verò *Corona* inter tot bellorum, & intestinorum motuum fluctus, ac periculorum tempestates, utì postmodum liquidò apparebit, ad hæc usque tempora miraculosè conservata est.

Crux missa.

Significatio crucis vera perdurat.

NB. HIstoria Bonfinij videtur Autori persuasisse, ut S. Coronam *Benedicto VII.* P. M. in acceptis referret. Nunc potior Eruditorum opinio est, *Sylvestro II.* hanc gloriam deberi: qui teste Cartuitio, ùt refert Baronius ad annum Christi 1000. post consignatam Legatis Ste-

Stephani Ducis S. Coronam, & Crucem ceu Apostolatûs insigne ante Regem ferendam adjunxit :

Ego (inquiens) *sum Apostolicus, at ille meritò Christi Apostolus dici potest, cujus operâ tantum populum sibi Christus requisivit. Atque ea de causa, quemadmodum illum Divina gratia docebit, Ecclesias Dei unà cum populo, Nostra vice, ei ordinandas relinquimus.*

Verùm dulciùs ex ipso fonte bibuntur aquæ. Ipsum Silvestrum Papam ad S. Stephanum scribentem legamus : cujus Epistola ex Archivio Tragurienſis Ecclesiæ accepta ad verbum sic habet.

Silvester Episcopus, Servus Servorum DEI, Stephano Duci Ungarorum Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

LEgati Nobilitatis Tuæ, inprimis verò charissimus Confrater noster Astricus Venerabilis Colocensis Episcopus tantò majori cor nostrum lætitia affecerunt, ac minori officium suum labore confecerunt, quantò divinitus prænoniti, cupidissimô animô illorum adventum, de ignota nobis gente, præstolabamur. Felix legatio quæ cœlesti præventa Nuncio, atque Angelicô pertractata

Data ministeriô, priùs DEI concluſa eſt decretô, quàm à nobis audita fuiſſet. Verè non volentis, neque currentis, ſed ſecundùm Apoſtolum, miſerentis eſt DEI: qui teſte Daniele, mutat tempora, & ætates: transfert Regna, atque conſtituit: revelat profunda, & abſcondita, & novit in tenebris conſtituta, quia lux cum eo eſt: quæ ſicut docet Joannes, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Primùm ergo gratias agimus DEO Patri, & Domino noſtro JESU Chriſto, qui temporibus noſtris invenit ſibi David filium Geiſæ, hominem ſecundùm cor ſuum, & luce irradiatum cœleſti, ſuſcitavit illum paſcere Iſraël populum ſuum, electam gentem Hungarorum. Deinde laudamus pietatem ſublimitatis Tuæ in Deum, & reverentiam erga Sedem Apoſtolicam, cui divina patiente miſericordia, nullô meritorum noſtrorum ſuffragiô præſidemus. Tum verò largitatem liberalitatis, quâ B. Petro Apoſtolorum Principi, Regnum, ac Gentem, cujus Dux es, cunctáque Tua, ac Te ipſum per eoſdem Legatos, & literas perpetuùm obtuliſti, dignô præconiô commendamus. Hôc enim factô egregiô apertè teſtatus es, & revera talem Te meritô eſſe demonſtraſti, qualem ut nos Te declarare dignaremur, ſtudiosè expetiviſti.

Sed

Sed parcimus. Neque enim necesse est, ut, quem tot, ac talia præclarè pro Christo gesta facinora voce publica clamant, quémque DEUS ipse commendat, ampliùs commendemus. Quare Glorioſe Fili, cuncta à Nobis, & Sede Apoſtolica expoſtulata, Diadema, noménque Regium, Strigonienſem Metropolim, & reliquos Epiſcopatus, de Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate præmonente, atque ità jubente eodem Omnipotente DEO, eum Apoſtolica, & noſtra benedictione libenter conceſsimus, concedimus, & impertimur; Regnum quoque à munificentia Tua S. Petro oblatum, Téque unà, ac Gentem, & Nationem Hungaricam præſentem, & futuram, ſub protectionem S. Romanæ Eccleſiæ acceptantes, Prudentiæ Tuæ, Hæredibus, ac legitimis Succeſſoribus Tuis habendum, tenendum, regendum, gubernandum, ac poſsidendum reddimus, & conferimus. Qui quidem Hæredes, ac Succeſſores Tui quicunque, poſteaquam per Optimates legitimè electi fuerint, teneantur ſimiliter nobis, & Succeſſoribus noſtris per ſe, vel per Legatos debitam obedientiam, ac reverentiam exhibere, ſéque S. Romanæ Eccleſiæ, quæ ſubjectos non habet ùt ſervos, ſed ùt filios ſuſcipit univerſos, ſubditos eſſe oſtendere, atque

in Catholica fide, Christique Domini, ac Salvatoris Nostri religione firmiter perseverare, eandémque promovere. Et quia Nobilitas Tua Apostolorum gloriam æmulando, Apostolicum munus, Christum prædicando, ejúsque Fidem propagando, gerere non est dedignata, Nostrásque, & Sacerdotij vices supplere studuit, atque Apostolorum Principem præ cæteris singulariter honorare: idcirco, & Nos singulari insuper privilegiô Excellentiam Tuam, Tuorúmque meritorum intuitu, hæredes, ac Successores Tuos legitimos, qui sicut dictum est, electi, atque à Sede Apostolica approbati fuerint, nunc, & perpetuis futuris temporibus condecorare cupientes, ut, postquam Tu, & illi, Coronâ, quam mittimus, rite juxta formulam Legatis Tuis traditam, coronatus, vel coronati extiteritis, Crucem ante Te, Apostolatûs insigne, gestare facere possis, & valeas, atque illi possint, valeántque; & secundùm quod Divina gratia Te, & illos docuerit, Ecclesias Regni Tui præsentes, & futuras, Nostra ac Successorum Nostrorum vice disponere, atque ordinare, Apostolica authoritate similiter concessimus, volumus, & rogamus: sicuti in aliis literis, quas in Communi ad Te, Optimatésque Regni, & cunctum fidelem populum per Nuncium No-

Noſtrum, quem ad Te dirigimus, deferendis, pleniùs hæc omnia explicata continentur. Oramus Omnipotentem Deum, qui Te deutero Matris Tuæ vocavit nomine Tuo ad Regnum, & Coronam: quíque Diadema, quod Duci Polonorum confectum per Nos fuerat, Tibi dandum mandavit, augeat incrementa frugum Juſtitiæ ſuæ; novellas plantas Regni Tui rore ſuæ benedictionis perfundat largiter; Regnúmque Tuum Tibi, Téque Regno ſervet incolumem; ab hoſtibus viſibilibus, & inviſibilibus protegat, ac poſt terreni Regni moleſtias in cœleſti Regno coronâ adornet æternâ. Datæ Romæ VI. Kal. April. Indictione decima tertia.

H. e. Annô Chriſti 1000. *die* 27. *Martij; qui tunc incidit in feriam quartam.* Hactenus Pontifex. Pergit Autor:

Mirabile in converſione Septentrionis.

MIrandum ſanè, & non niſi eventu noſtri hujus temporis conſiderandum, quòd uno, eodémque tempore cum exortu noſtræ CORONÆ, tot gentibus ſpes æternæ ſalutis oblata fuerat: & non ſolùm *Hungaris*, & *Polonis*, ùt præmiſſum eſt, ſed & *Danis*, & toti ferè *Septentrioni* deteſtari falſa Numina, & falſum Deorum cultum abolere, divinitus conceſſum erat: Verùm etiam Trium Politiarum, ac Re-

Trium Regnorum eodem tempore exordium.

gnorum nova, & Christiana simul efloruit constitutio, quæ in hunc usque diem, non solùm divini nominis,& gloriæ professione gaudent: Sed etiam *Romani Imperij*, penes *Germanici* nominis magnitudinem adhuc florentissimi, & stabilitatem sua communi potentia adversùs quosvis hostes conseruant, & honorem sua societate augent. In ipso *Romano Imperio* coætanea, & non dissimilis sanctæ nostræ CORONÆ fuit sanctio, illa per OTHONEM facta, & per HENRICUM ampliata, & confirmata: quâ sacrum illud *Septemvirorum Electorum Collegium* constituitur, & per annos sexcentos diligentissimè servatur, quâ solis *Germanis*, & certis quidem Principibus eligendi, & creandi Principem potestas datur, qui statim *Cæsar*, & *Romanorum Rex* dicitur.

Lex Septemviratûs R. I. Sacræ Coronæ coætanea.

QUis enim non admiretur tempus illud felicissimum, & sanctissimum? quô tot inclyta, & præclara rerum in Christiana Republica contigêre decora, & miracula.

STEPHANO Regi PETRUS ALEMANNUS STEPHANI Regis consanguineus successit. In novello adhuc Regno, & ipsis pene cunabulis, novellam, sed adversam, & aspe-

Petrus Rex succedit, cui ab ABA Corona eripitur.

aſperam experta CORONA fortunam. ABÆ enim violentiâ erepta eſt, & PETRUS Regno pulſus, ut illam recuperaret ad HENRICI TERTII IMPERATORIS opem confugit. Is extemplò ingentibus *Germanorum* copiis *Hungariam* ingreſſus, *Diademate* potitur, quod haud quaquam ſibi aſſeruit, ſed PETRO reducto reſtituens regali throno impoſuit.

QUa in re memoriam, & laudem perpetuam meritus eſt HENRICUS CÆSAR, tum quòd decus *Sacræ Coronæ* aſſerere voluerit, tum quòd tantum bonum, cui Principes lubentiſſimè inſidiari ſolent, neglexerit, nec ob inſignem Regni ſplendorem, ſoli fertilitatem, atque amplitudinem, poſſeſſionem ejus retinuerit. Quamvis nonnulli ex ſcriptoribus in ea ſint opinione, quòd illo tempore *vectigalem* fecerit ſibi *Ungariam*, prætextu nimirum tanti beneficij, ſed meo quidem perexili judicio, non ſinè injuria optimi illius Imperatoris. Neque enim exiſtimandum putaverim, vel in mentem magno illi Imperatori veniſſe, oppreſſo à ſuis PETRO, & ad ſe tanquam ſacram anchoram confugienti, *ſub ſpecie, aut ſimulatione auxilij inferre detrimentum, ut quidam refert*; quin potiùs veram hanc Imperatorii facinoris laudem

Henrici ope, & armis Sacra Corona defenſa.

Ungaria nunquam vectigalis Germanis.

Beneficiaria quidem fuit Imperatoribus.

fatemur, atque æternam nominis ipsius celebramus gloriam : in sedem suam legitimum Regem collocare, dignitatísque pristinæ culmen restituere, nec haud dubiè ignarus religionis hujus fas ducebat *coronam dolô, aut armis, ùt cœlestem, ùt sacro-sanctam violare.* Porrò quemadmodum *nihil fortunatum simul, & diuturnum*, ità gaudium hoc PETRI Regis admodum breve fuit, luminibus enim, & Regno, paulò verò post etiam privatus vitâ est. O incertitudinem humanæ sortis ! *ô fidem fortunæ dubiam* ! quos enim ad celsissimum dignitatis culmen evexit, eosdem ad ima usque præcipitat; cujusmodi exempla omnes quotquot ad clavum Regnorum, rerúmque publicarum sedent, assiduè animô volvere addecet, quò moderatiùs potestate sibi divinitus concessa utantur, *nihil insolenter, nihil iniquè, nihil temere, nihil violenter committant*, Deum reveriti, qui nihil solet parcere delinquenti.

Quòd asylum Coronæ inculpatum præstiterint.

Quòd Regum conditio variabilis.

Vicissitudo rerum communis.

Cogitanda Regibus.

QUod ipsum *Hungarorum* facinus iniquissimè tulit IMPERATOR HENRICUS, & proinde *Hungaris* infestior factus, illatam, ut PETRO injuriam, Regni habenas jam ANDREA tenente, vindicaret, *coronámque* in suam redigeret potestatem, novo, eóque valido in-

Henricus Imperator hostili animo revertitur in Hungariam.

instructo exercitu, in Hungariam revertitur. Sed Rex ANDREAS de CÆSARIS aduentu per exploratores maturè edoctus, & ipse copias, quàm potest maximas cogit, in campis, quà erat HENRICUS iter facturus, herbam omnem, & segetum acervos exuri, armenta remotiora ad loca abigi, nè qua prædæ, & commeatûs hosti copia foret, curat. Quin & arte hostes petiit, acceptis enim literis RATISBONENSIS EPISCOPI GEBHARTI, classis, & annonæ Præfecti, quibus à *Cæsare*, ubinam cum navibus, & commeatu, exercitum præstolari deberet? Scisscitatur. *Rex* sub *Cæsaris* nomine rescripsit, se ob adversum, turbatúmque Regni statum, in *Germaniam* properè reverti necessariò debere. Idcirco, ut, qua celeritate posset maxima, destructis navibus, nè hostium usui cedant, RATISBONAM advolet. EPISCOPUS, qui jam prope JAURINUM erat, rem certam ratus, exequitur jussa, periculô, atque malô Cæsaris summô, tantâ enim commeatûs, ac pabuli, rerúmque inopiâ, ipse, exercitúsque ejus premebatur, ut ab ANDREA REGE pacem, victualia, & itineris securitatem rogare cogeretur. Nec voti compos factus sui, donec sacramentô interpositô promitteret, se injuriam minimè vin-

Ab Andrea Rege vincitur.

Mediis non sanguinariis.

Imperator impetrata pace, & commeatu recedit.

vindicaturum, neque contra *Andream Regem*, vel ipsius successores hostilia clàm, vel apertè factis, vel consiliis moliturum. *Magnum quippe hoc stratagema fuit, fame magìs, atque inediâ hostem, quàm ferrô vincere: sed multò illustrius solo innocentiæ terrore, atque hujus Coronæ religione potiùs Cæsarem debellâsse.*

Victoria maximè commendabilis.

ANDREAS REX hac potitus victoria, postmodum cùm lassæ jam, confectæque ætatis se esse sentiret, maturè Regno de successore providere statuit, filiúmque suum SALOMONEM puerulum quinquennem *sacrâ Coronâ* ornari jussit, quod factum, postquam BELAM DUCEM cognatum suum molestè ferre intelligeret, *Coronam Regiæ dignitatis notam, sive symbolum, & gladium ducale signum* super peristroma rubeum collocatum BELÆ proposuit, data alterutra harum optione. Sed BELA aut monitus, aut sponte sua etiam sapiens, vitæ suæ periculum declinaturus, cessit tempori, intactáque Coronâ gladium sumpsit, sícque titulô *Ducis* se contentum fore præsetulit. Sed quod tunc dissimulaverat, paulopost adjutus soceri sui BOLESLAI Regis POLONIÆ copiis, atque opibus, Regnum aggreditur, *Coronam* rapit, Regem prælio juxta oppidum MOSSON vincit,

Andreas Primus Salomonem successorem designat.

Corona Regis symbolum, Gladius Ducis,

Salomonem Bela armis Boleslai Poloni vincit.

cit, Regnúmque occupat. Quô sanè exemplô docemur *veram, & immotam illam esse Regulam: Peccatum omne, per idem peccatum puniri.* PETRUM etenim Regno hic privaverat, qui similiter eodem à BELA, & vita simul exuitur: & neque impunè sive exteri illi fuerint, sive domestici, *Coronam* violenter tactam, usurpatámque tulerunt. Verùm documentum plerumque fati gravissimi ex profanatione illius amplissimum ostenderunt, sicut neque BELA similes effugit pœnas, triennió enim totô Regno non præfuit: ex Regalis solij, dum jus diceret lapsu, adeò ejus membra, ossáque læsa, contusáque fuêre, ut magno cum cruciatu lethum subire debuerit. Fuit hic Princeps alioquin optimus, utpote qui cives suos in ocio, & pace gubernavit, primus in *Hungaria* pondera ordinavit, signati argenti Author extitit, fora instituit, tributa subditorum remisit, minuítque, propter quam ipsius solertiam, atque beneficentiam, tam Nobilitatis, quàm agricolarum, adeò id temporis excrevit opulentia, ut è vicinis nemo pene tantarum opum facultatúmque fuisse existimatus sit, qui *Hungaris* divitiis adæquari potuisset.

Lex talionis divinitus rata.

Vindicta Sacræ Coronæ.

Beatitas civium Principi proposita.

Salomon denuo Coronam affectat.

POst Regis BELÆ casu miserando è vivis excessum, SALOMON hæres quidem ille coronæ justissimè ab hominibus dictus: sed arcanô DEI judiciô, ob infeliciter res, auxilijs externarum gentium, contra Patriam gestas, rejectus. Namque HENRICUM QUARTUM Cæsarem HENRICI TERTII filium pro recuperatione coronæ sollicitavit, auxiliares copias exoravit, hujúsque ope *Diadema*, quô denuo est coronatus, recepit: Verùm *Alemannorum* præsidiô dimissô, GEIZA adversùs SALOMONEM bellum acerrimum movit, prætendens sibi seniori jure deberi CORONAM, sed reconciliatione facta, senior cessit juniori, & SALOMON iterum coronatus fuisse *Quinque Ecclesiis* in Basilica DIVI PETRI ab Historicis traditur, quæ mox insequenti à coronatione nocte, cum plurimis ædificiis igne conflagravit. Incendium isthoc haud dubiè significabat, reiterata *Salomonis* coronatione læsam quodammodo civili bello, & sanguinis cognati profusione *sacram Coronam*, & injuriam hanc, dum immodicè usurpationem Majestatis ipsius affectat, quandoque vindicatum iri, quod & evenit. SALOMONI enim non multopost bellô à GEIZA superato, *Corona* adimitur. GEIZA pro-

Auxiliô Cæsaris. Henrici IV. recipit.

Modico tempore quiete, ac imperio fruitur.

Omina incendij divinitus ostensa.

Pœna sequitur ex Numine violatæ Coronæ.

Coronæ divinum indicium.

profectò non solùm *auspiciis* felicis victoriæ Regnum adeptus: sed etiam *miraculô*, & *auguriis cœlestibus*, quum LADISLAUS Deo charissimus, Angelum delatam è Cœlo *Coronam* fraterno capiti imposuisse aspexissent. *Quod obsecro illustrius divinitatis Coronæ argumentum? ubi cœlestis providentia, pietas, Regum, ac Regni felicitas concurrunt.*

Geisam I. Regem ostendit.

Vinculum rerum divinarum, & humanarum.

AC dum GEIZA pacato potitur Regno, ac MAGNUS ex cognomento ob res magnas gestas dictus, insperatò humanis sublatus, mox frater ipsius LADISLAUS communi consensu, atque votô Rex declaratur, quam quidem dignitatem, diu sedulóque detrectavit, neque SALOMONE superstite, caput suum *sacro* ornari *Diademate*, séque Regem salutari passus est, piaculum ratus, vivente Rege coronato, *sacro Diademate* insigniri. Cùm tamen enixiùs rogaretur, & Optimatum animos adversùs SALOMONEM cerneret exacerbatos, ne Regnum aliquod detrimentum caperet, curam ejus sub Gubernatoris, ac Ducis duntaxat titulô suscepit. *Censebat enim ille non in throno, Regiæ dignitatis fastigium, sed factis præclaris, & laudabilibus situm esse.* Quæ LADISLAI pietas, & singularis modestia, quò rarior,

Geisa Magnus ob res gestas appellatus.

S. Ladisla. Invitus Regni gubernacula suscipit.

rior, ità majore ad posteritatem digna laude est. Sceptrum certè spernit, magnus, & tantæ rei conscius animus; verùm cùm sua mansuetudine, atque modestia abuti SALOMONEM, turbaréque Regni statum perspiceret, maximè verò quòd finitimarum gentium arma in patriam sollicitaret, patriæ, & *Hungaricæ* gentis magis, quàm propriæ utilitatis charitate correptus, tandem victoriâ contra SALOMONEM obtentâ, pacem civilibus armis imposuit. Nimirum nîl laudabili, ac salutari gubernatione *Divi Ladislai* optatius! quod *Coronam* omni pietate, religionéque coleret, haberétque; DALMATIAM, ET CROATIAM universam fatô faustissimô sinè sanguine, *Coronæ*, ac ditioni Hungariæ acquisivit.

Salomon externis armis pugnat contra patriam.

Ladislaus victor civilibus armis finem imponit.

Regnum Hungariæ duobus auget Regnis, Croaticô, Dalmaticô.

AB obitu integerrimi, & pij Regis LADISLAI ordine gubernacula Regni obtinuerunt COLOMANUS, qui VARADIENSIS EPISCOPUS * aliquando fuerat. STEPHANUS SECUNDUS COLOMANI filius, FULMEN à vulgo cognominatus. BELA SECUNDUS, qui IMPERATOREM CONRADUM, exercitum ad recuperandam HIEROSOLYMAM ducentem hospitiô liberalissimô excepit. STEPHANUS TERTIUS. BELA TERTIUS.

* Opinio Bonfinij nullo fundamento nixa.

TIUS. GEIZA SECUNDUS, ET TERTIUS. Neque horum etiam Regum tempore, adversitatibus *Corona* caruit, multoties *ceu in mari navicula ventis jactata, ac verberata procellis*, sic, ut longum foret illius ambitiosos appetitores, & insidiatores, eorúmque studia, exitiosásque technas, & machinationes dolosas recensere. Sæpius enim proprios inter cives, & filios, sui nimirum amore, regnandíque cupidine captos, variis vexata est modis: quorum alij præclara décora, bellô, pacéque patriæ acquisiverunt, quia vero, sinceróque cultu *sacræ Coronæ* ducebantur: alij velut Inter-Reges exigua regnandi felicitate fruebantur, inter ipsa initia Regni ferè extincti.

Mirum Sacræ Coronæ exercitium.

Victrix horum omnium temporum Corona in ipso patriæ sinu, optimos quosque Reges, à quibusvis periculis tuebatur, à malis decus publicum necquidquam metuebat, incorruptáque libertate gentem suam conservabat. Eodem isto sæculo, cum indomitis gentibus, non *invitâ victoriâ* bella gessit, *pro fide, ac salute*; *Venetos, Græcos, Russos, Sarmatas, Cumanos*, & alias vicinas gentes *Majestate sua* partim vicit, partim coërcuit.

Cum ea firmus, & felix Reipublicæ status.

EST verò istud, ut alia prætéream, memorabile, quod *Stephani Tertij* tempore evénit. Is cùm *Dalmaticô* bellô distineretur, ex absentia Regis, captata occasione frater ipsius LADISLAUS nimia, atque arroganti imperandi libidine succensus, *Coronæ* surripiendæ consilium astutè inîit, persuasum sibi habens, illâ adeptâ, non difficulter quoque Regno se potiturum. Quare miris artibus surrepto *Diademate*, nonnullísque Primatum, quos prænsationibus, honoribus, largitionibus corruperat, suffragantibus, Regium nomen palàm professus est, legitimo interim Rege, fraterno furori indulgente. *Cessit enim instar periti Nauclerí, qui novit obsequi fluctibus ad tempus. Est quippe prudentiæ ex tempore quandoque capere consilium, quod plerumque injurias, vim, atque pericula, incruentâ victoriâ vincit.* Neque tamen Regum constitutor, & *Coronæ vindex DEUS Optim. Max.* hocce diu inultum scelus passus est: violatorem quippe *Coronæ*, & æmulum Regis coronati, repentinô oppressit fatô. STEPHANUM verò nova protinus excepit difficultas: alter enim LADISLAI frater STEPHANUS BELÆ cœci filius, in cujus potestatem devenerat *Corona*, Imperio subrogatur. Tam certum est, quod

Calamitas Reipublicæ Hungaricæ, à dissidio regnantium.

Natura prudentiæ commendabilis.

Turbones Regni semper puniti à Deo.

quod scribit alicubi *Seneca: Dij virum bonum in delitiis non habent; vexant, exercent, sibi cùm præparant.* Neque Regibus, cæterísque in statu dignitatis eminentiore constitutis, parcitur, ne fors fortunæ, suis opibus, atque potentiæ tribuant nimium, insolescántque. Ne tamen *Rex* diutius sibi, & causæ bonæ, autoritatíque Regiæ deesse videretur, armis cum LADISLAO contendit, vincit pugnâ cruentissimâ. Hoc pacto ad STEPHANUM insignia Regia, unà cum Regno redière; *Tandem enim sacræ Coronæ suffragatione, bona causa Regum triumphat, & quibus divinitus debentur Regna, quibúsve mansuetudo, pietas, justitia, salus subditorum, æquè curæ cordíque est, ejuscemodi Principes, cœlitus quoque proteguntur, & ex maximis quibusque periculis, adversitatibúsque tandem emergunt.*

NEque sub EMERICI Regis imperio, quod contigit, silentiô involvendum est. Hunc quoque ANDREAS *Dux* frater junior, damnando senioris ignaviam, in fervore adhuc adolescentiæ, quorundam pravis adductus consiliis Regnô exturbare, ac *Diademate*, conatu omni privare contendebat: cúmque jam eò res deveniisset, ut prælio decertandum esset, & utrin-

Emericus Rex ab Andrea rebellante, ad arma concitatur.

utrinque ad pugnam dispositi starent milites, EMERICUS exutus armis, *Coronâ*, & sceptrô fulgens, solus medias fratris acies perrupit, cujus conspectus adeò Ducem, militésque omnes terruit, ut abjectis armis, supplices delicti veniam poscerent. At qui seciùs olim cessit IMPERATORI HENRICO QUARTO. Hunc enim cùm MOGUNTINUS, COLONIENSIS, ac VORMACIENSIS Præsules convenissent, insignia nomine filij HENRICI QUINTI postulâssent, *Cæsar* Augustalibus indutus, throno insidens, tantæ Majestatis rationem legatos habituros arbitratus: auditis illis, filij petitioni assentiri ubi recusâsset, confestim ipsum involantes, Corona, & sceptro exuunt, privántque. Isto multò felicior EMERICUS REX noster: potiórque à fratre Regiæ, quàm Imperialis Majestatis à filio ratio habita. Etenim illa cum Rege inter sagatos, aciésque instructas, terrificúmque armorum strepitum, inviolata, illibatáque constitit; huic à togatis (quem bis, & sexagies prælio cum hostibus dimicâsse perhibent) pro tribunali sedenti, vis illata fuit. Unde tanta facti, & exempli dissimilitudo sit, haud facilè conjicio, à *Religione* forsitan, & *veneratione Coronæ* nostræ, à qua Regem *Majestatem* suam acci-

Andreas, & factio ejus, conspecto Rege coronato consternatur.

Diversum contigit Henrico Quarto Imperatori.

Causa diversitatis exempli, à religione *Coronæ*.

accipere ab illa *ſacro-ſanctum*, *ac inviolatum* haberi credimus. Solebat NICOLAUS GARA Ungariæ olim Palatinus ſæpius repetere; *Coronatum ſacro Diademate Regem, vel ſi bellua foret, nunquam ſinè magno lædi poſſe ſcelere:* Contra verò Romani dignitatem imperij, non tam Diademate illorum, quod varium, diverſi diverſorum titulorum imperij, nec unquam quod ex hiſtoriis ſciam, miraculo aliquo clarum habetur, æſtimari, & cenſeri, quàm AUGUSTI nuncupatione & cognomine. Nam poſtquam, ùt inquit *Vegetius: Imperator Auguſti nomen accepit, illi tanquam præſenti, & corporali Deo fidelis debetur devotio.* Numine igitur *ſacræ* hujuſce *Coronæ* EMERICUS inter media arma tutiſſimus; ANDREÆ fratri, & reliquis omnibus pœnitudine violati hujus Numinis ductis, ac deprecantibus indulgentiſſimè ignovit. Ut igitur miranda hæc *Coronæ* divinitus datæ, apud *Hungaros experientia*, cujus læſam *Majeſtatem* vix populi totius exitiô, expiari oportuit; ſic hoc loco dolendum, ac deplorandum, quòd viros Principes ambitio, peſtis, ac venenum Politiarum tranſverſos agat, totósque adeò occupet, ut quos etiam natura neceſſarios genuit, hoſtes efficiat, & neque sangui-

Palatini Garæ dictum de S. Corona.

Vegetij ſententia.

Semper puniti, qui Majeſtatem Coronæ violant.

guinis nexus, neque necessitudinis ratio, neque *Religionis hujus Coronæ Autoritas*, habeatur. Siccine imperij dulcedo, charitatis genuinæ vim superat? Religionis, justitiæ, ac verecundiæ laudem penitus tollit? Sed *cupit regnum*, & *quidem scelerate cupit*, ut hoc mihi *Livius* de suo largiatur, *qui transcendere festinat ordinem ætatis, naturæ, moris, nationis, juris Gentium*, nec hujusmodi præposteri, & ambitiosi conatus, solent felices sortiri successus. Quod ipsum, ut multa alia taceam, LADISLAI, ejúsque fratris STEPHANI, & CAROLI cognomentô PARVI, quin & ANDREÆ Ducis exemplum luculenter comprobat. Quos omnes egregiè exercuit, & mulctavit fortuna, quòd *legem Majestatis*, & hujus *Coronæ*, de qua sermo est, *Religionem* contempserint.

Ambitiosorum eventus tristissimi, ac certa supplicia.

A Constantia Ladislai Matre Corona Viennam auferitur. Mox redditur Andreæ.

DEmortuo Rege EMERICO, filius ipsius LADISLAUS Regni dignitatem accepit, sed non diuturnam.

Andreas Secundus Rex Coronæ supplex.

POst hunc demum ANDREAS Dux, *qui Coronæ* armatus, ùt præmissum est, inter tubas classicum canentes, & turbas ad prælium dispositas, supplex factus erat, Axioma Regium consecutus est, prompto facilíque omnium con-

consensu. Hic velut bonus populi pastor, justè & quietè domi regnavit, foris pugnavit fortiter, expeditione & recuperatione sanctæ terræ, & urbis ad seram posteritatem clarissimus. Et qui *Coronæ pietate*, subditorúmque charitate, atque benevolentia motus (ut unô verbô omnia comprehendam) Hungariæ libertatem auxit, Nobilitatémque insignibus donavit privilegiis, *in quæ cuncti Hungarorum Reges peculiari more jurare solent.*

Præmia accipit Religionis Coronæ maxima, & dignissima.

REbus humanis exempto Divo ANDREA tempore BELÆ QUARTI, quies & tranquillitas *Sacræ Coronæ (ùt nihil in terris stabile, nihil firmum ac perpetuum esse potest)* acerrima fati circulantis colluctatione, & Tartarorum fœdissimæ gentis incursione impetita fuit, vel quòd apud gentem nostram *Religio ipsius domesticô ociô senescceret, vel quòd DEI sapientia, illius experimentum, non solùm prosperis, sed etiam adversis facere, eóque magìs enitescere permitteret.* O *Nobile & Inclytum sydus!* quo cœli climate latueras? quorsum divinitatis tuæ radios absconderas? dum nefandissima gens, in tua sæviret peculia? Rex tuus BELA bellator infelix, amisso exercitu, humano destitutus

Bela Quartus.

Sacra Corona patitur in Hungaris castigationem divinam.

auxilio, nusquam in patria subsistere potuit, in AUSTRIAM, inde in DALMATIAM fugâ salutem quærere coactus est: & cùm nec ibi tuto esse liceret, in vicinas ADRIATICI maris insulas trajecit, Regnum totô trienniô gens horrida, truculenta tenuit, possedítque. O felicitatem divinam! cujus *Numinis tutela?* cujus *hospitis fide?* cujus *custodis diligentia?* inter tot barbarorum crudelissima tela, imbrésque sagittarum, rapinas, sacrilegia, cædes, urbium, castrorum incendia, madentes sanguine campos, inter etiam cadavera, longè latéque per campos effusa, inviolata perstiteras ac permanseras? Hic te profectò *Apostolicam Coronam* vocare lubet, nempe quòd sanctorum *Apostolorum more & exemplô (qui tuam sanctam replent circumferentiam)* profanæ gentis feritatem, fugam, pati & sustinere debueris. Etsi autem miraculosam hanc tui conservationem fileant tot scriptores, nullo hospitis & custodis nomine patefacto, ne hostilem nimirum malitiam, in te aliquid potuisse, vel te humanâ solertiâ, consiliô, servatam glorientur. Tu tamen vicisti, & pulsis divinitus fugatísque barbaris, luculentissimum verè *triumphalis* CORONA reportâsti trophæum.

Providentiæ Divinæ argumentum in ipsius conservatione.

Fuit in Dalmatia cum Rege.

BELA

BELA defuncto STEPHANUS QUINTUS imperium suscepit, & prosperè adversùs BOHEMOS, *Cumanos*, *Bulgarósque*, pugnavit. Huic LADISLAUS, CUMANUS dictus, subrogatus est, qui bellum *Bohemicum* continuando, BOHEMOS prælio vicit, in quo & ipse Rex OTTOCARUS occubuit. Hunc Regem præposterè viventem, & impiis moribus ac amoribus deditum, *Sacra Corona* ferre non potuit, sed ab ipsis Cumanis, quos in delitiis habuit, interfici *permisit*, *novô sanctitatis violatæ argumentô*.

Stephanus Quintus fortunatus bellô.

Ladislaus IV. initiô imperij bonus, ac felix.

POST LADISLAUM ANDREAS TERTIUS *Diadema* sumpsit, VENETUS appellatus, quòd matre VENETA natus, & VENETIIS educatus fuisset.

Andreas Tertius Venetus.

WENCESLAO tandem, à nostris LADISLAO appellato, rerum potiente, *controversiam novam*, *nostram Coronam* habere oportuit. Cùm etenim PONTIFEX BONIFACIUS OCTAVUS CAROLUM ROBERTUM in Regem *Hungaris* commendaret; hi ne suo jure cederent, néve libertatis suæ in *electione Regis* jacturam acciperent, quam nimirum per PONTIFICIS BENEDICTI XI. CAROLO *Hungariæ* Regni habenas suffragantis, Auto-

Nova de Sacra Corona controversia.

ritatem, censuram, & anathematis severitatem, læsam existimabant; WENCESLAUM, WENCESLAI filium tredecennem è *Bohemia* vocârunt. Ac adeò veteres illi *Hungari libertatis amorem, cum Religione Coronæ inviolatum conjunctúmque* habebant, ut obliti beneficij summi ac veteris * *Benedicti Septimi*, à quo *Sanctam* acceperant *Coronam*, extremam etiam *censuræ Ecclesiasticæ vim*, veluti *fulmen* adjectam, contempserint. WENCESLAUS partim propter incerta *Procerum* studia, partim Pontificis comminationes, CAROLóque æmulô Regno imminente, minùs se tutum reputans, in quanto sit periculo, patri quàm celerrimè nunciavit, qui forti coacto exercitu, magnis itineribus ad PESTHUM DANUBIO à BUDA Regni Metropoli diremptum accessit, positísque commodè castris *Budam* ad filium mittit, ne *Danubium* trajiciat, néve secùs in conspectum parentis, quàm coronatus *Coronâ* illâ *Hungaris Sanctâ*, veniat. Assentientibus (sed minùs providè, quod effectus ipse docuit) Proceribus, jussa obit filius, *Coronáque* capiti suo accommodatâ, ad amplexum parentis admittitur, quam WENCESLAUS quasi diligentiùs pòst contemplaturus, seponens, reddere *Hungaris* recusavit,

* Melius Silvestri II.

Wenceslaus inter discordes Hungaros positus, patris petit auxilium.

Religio Sacræ Coronæ, etiam apud exteros sacrosancta habetur.

Wenceslaus callidô com-

savit, periculorum prætextu usus, *quòdque ubicunque Coronam, ibi & Regnum Hungariæ esse, putandum sit.* Atque sic ipsam unà cum filio, tertiô regiminis ipsius annô, in *Bohemiam* abstulit. Atque hæc erat * *Prima profectio Coronæ*, dum extra oleas Patriæ in potestate externorum, non sinè maximo periculo permansit, donec tandem secundùm abscessum *Wenceslai*, veriti *Hungari* ne *Pontifices Romani* jus, & facultatem Reges imponendi sibi aliquando arrogarent, serió denuo urgente *Pontifice*, ad *Carolum* recipiendum adduci minimè adhuc potuerunt. OTTHONI BAVARIÆ DUCI detulerunt dignitatem, qui postquam à WENCESLAO *Coronam Sacram* recepisset, venit in *Hungariam* & *Albæ* Primoribus ostendit. Eam ubi conspexêre, veluti ejus Numine adacti, in OTTHONIS partes omnes concesserunt: An verò prece & gratuitò? an preciô hunc cœlestem thesaurum obtinuerit OTTHO, dissentiunt inter se Historici. Ego verò ambigo, laude vel vituperio magìs dignus sit WENCESLAUS? qui instante periculo, metu perculsus, & regnum curæ ipsius commissum deseruit, & sanctum Regni pignus in *Bohemiam* secum detulit. Si verò mortalis auri, preciô spretô, nobi-

mentô Sacram Coronam aufert in Bohemiam cum filio.

* Veriùs Tertia.

Ottho ab Hungaris solo aspectu Coronæ in Regem electus.

Iniqua competitorum Sacræ Coronæ æstimatio.

nobilem thesaurum OTTHONI in *Hungariam* deferendum tradidit; WENCESLAUM munificentissimos inter Reges non immeritò adnumerârim. OTTHO tandem cùm in Regnum Hungariæ concederet, quò *Diadema* securiùs tutiúsque secum asportare posset, contra morem & legem Hungarorum, vanâ prudentiâ & timore, tornatili incluſam laguncula, cuidam ex aulicis commiserat. Qui non conscius, quòd in ea precioſum quidpiam contineretur, parùm, de lagena, quam sellæ equestri alligaverat, sollicitus, cùm in itinere decidisset, postero demum die diligenter quæsita, reperta fuit. Dignum profectò admiratione, quòd in via publica, complurimis commeantibus; visa non fuerit. Providentiâ divinâ illud evenisse judico, ut nimirum Corona in patria inviolata salváque consisteret. Verùm OTTHO tanquam externus, & nimia ambitione notatus, non magnam restitutæ Coronæ gratiam retulit. *Ità enim in vita comparatum est, ut benefactorum propemodum nullam, offensionum autem memoriam sentiamus perpetuam.* Aut fortè ità arcano exigente OTTHONIS crimine, apud quem nulla ratione consistere, sed se penitus *Sacra Corona* ipsius potestate vindicare volebat, volentibus supe-

Indigna ratio Coronæ servandæ.

Miraculum in casu Coronæ stupendum.

Effectus humanæ ambitionis in Otthone.

ſuperis : ut *diſcordantis patriæ, aliquod remedium eſſet ac finis.* Eadem in *profectione* à LADISLAO WAYVODA *Tranſilvaniæ* capto ipſo OTTHONE, & in carcerem detruſo, eripitur.

A WAYVODA verò *Tranſilvaniæ Corona* difficilimè recipi potuit, poſt multas tandem cenſuras, & graviſſimas Pontificis monitiones, minásque *Coronam* CAROLO tradidit, & omnium Ordinum votis, atque ſtudiis accedentibus, de more coronatus eſt. Vindicavit ſe à publico contemptu, & gentis diſcordia, in hoc Rege CAROLO *Sacra Corona*, quod inde liquere poteſt, ſiquidem non tantùm de domeſticis hoſtibus, iísque validiſſimis, maximas obtinuit victorias; ſed etiam cum externis Regibus, ac Principibus, & præcipuè cum *Cæſare* CAROLO QUARTO, & POLONORUM *Rege*, inviolatam neceſſitudinem, affinitatémque, ac fœdera excoluit; clariſſimus hôc pactô evaſit, domeſticásque inſidias peculiari DEI beneficio evitavit. Ità longè latéque dominatum eſſe ferunt, ut *Dalmatiam, Croatiam, Ramam, Serviam, Galitiam, Lodemeriam, Cumaniam, Bulgariam, Ungariam* cum adjecto *Gargáno* monte, & *Salernum* illi paruiſſe, ac vectigalia

Carolus Primus feliciter Coronam adeptus.

Origo fœderum amicitiarũ, ac affinitatum à veneratione Sacræ Coronæ apud vicinos.

Latiſſimum ejus imperium.

quotannis ſtata, pependiſſe prædicent. Et quod maximè memorabile eſt, *Coronæque* fortunæ pulcherrimæ adſcribendum, hoc ipſo regnante CAROLO, & Autore, *proceſſus iſte judiciarius*, & *uſus proceſſuum*, qui nunc in cauſis inchoandis, proſequendis, diſcutiendis, & terminandis obſervatur, ex *Galliarum* finibus, in Regnum *Hungariæ* inductus eſſe perhibetur.

Proceſſus iſte Judiciarius ex Gallia in Hungariam inductus.

POſt CAROLUM filius ipſius LUDOVICUS Rex inauguratus eſt. Regnum tenuit annis quadraginta, & duobus pene menſibus. Fuit hic in gerendis bellis fortiſſimus, juxtà & fortunatiſſimus, in jure adminiſtrando æquiſſimus, erga omnes placabilis, indulgentiſſimúsque. Quievit, & paululùm reſpiravit; pientiſſimo iſthoc Rege regnante *Sacra Corona*, & ampliſſimum de ſe fulgorem ſparſit, dum vindicatis ſuæ Regiæ familiæ hoſtibus, celeberrimas in *Italia*, & *Apulia* adeptus eſt victorias. Judæos ex *Hungaria* ejecit, *Cumanos* ad Religionem Chriſtianam pertraxit. *Sarmaticámque* illam *Coronam* Regni ſocietate illuſtravit.

Ludovicus Primus Rex clariſſimus.

Victoriis externis celeberrimus.

Societas Sacræ Coronæ cum Polonica.

AMorte LUDOVICI, quem omnis ſexus, Ordinésque omnes indicto triennali in univerſo Regno luctu deplorabant; filia ipſius ob

ob insignia patris merita, MARIA, omnium consensu atque suffragiô Regnicolarum *Rex* designatur, & *sacro Diademate* coronata, regimen suscepit. Verùm citò plerósque Optimatum tædium, & satietas cæpit fæminei imperij. Unde haud sanè felicibus auspiciis Neapoli CAROLUM PARVUM accersendum, ZAGRABIENSEMQUE EPISCOPUM ad eum ablegandum decernunt; quam ille legationem sub specie singularis devotionis, votíque exolvendi causâ Romam se proficiscí simulando, promptè suscepit, simul & ex arbitrio Procerum peregit. CAROLUS enim dominandi libidine succensus, nec contentus sui Regni quiete, & tranquillitate oblatum regimen, domesticis dissidiis laborans, amplexus est. Et protinus sub prætextu visendi MARIAM Regem Hungariæ, utpote qui esset ejus patruelis, simul & componendarum simultatum, inter MARIAM & Proceres vigentium, ingreditur, indictóque *Budæ* Comitiô, publicè Rex proclamatur, & inde *Albam* profectus Procerum conventu, ante omnia *Coronam* (quæ ùt *Bonfinius* memoriæ tradidit, nescio à quo subtracta fuerat) partim minis, partim nonnullorum favore extorsit, atque capiti suo per *Strigoniensem*

Maria Rex nuncupatur.

Carolus Parvus ex Apulia in Hungariam vocatur.

Callidô commentô.

Fraudulenter Regnũ occupat.

Exitus infelix Caroli ob violatam Coronæ Religionem.

sem Antistitem imposítam habuit. Sed penes *Carolum Parvum*, aliàs *secundum*, diuturna non fuit potestas. Quòd nimirum leges sacræ Coronæ violâsse videretur, dum ambitu, prava calliditate, potiùs simulatione, quàm verô patrocinió, eandem adversùs MARIAM, affectârat. Eô igitur obtruncatô MARIA *Diadema* recepit, ídque sponso suo SIGISMUNDO CAROLI *Quarti Imperatoris* filio, consentientibus Ordinibus, postquam quatuor ferè annis inter plurimas adversitates rebus præfuisset, plena Authoritate assignavit.

Maria jus sacræ Coronæ Sigismundo resignat.

Sigismundus Rex Hungariæ.

REgnante SIGISMUNDO dubius sum, an *sacra Corona* majora decora acquisiverit? An verò damna, & clades acceperit? Præterquam quòd enim ob infensissimum *Hungarorum* odium, ex cæde conjurantium justissima ortum, ignominiam carceris passus, ac in summo vitæ periculo constitutus fuerit: liberatus tandem Dei beneficiô, & *sacræ Coronæ auspiciis ac favore*, paulopost geminas clades *à novis Europæ hostibus Turcis*, ob discordiam & levitatem GALLORUM, inauspicatò & injussu Regis Hungariæ in aciem, & conflictum prodeuntium ad NICOPOLIM, & COLUMBATIUM expertus est. Hoc nimirum Duce *sacra Corona* hostes

Primitiæ Turcici belli infelices ob gentium discordiam Christianarum.

hostes *Turcas* in *Bulgariam* ditionem *Hungariæ* irrumpentes (cum quibus ad hoc usque tempus acerrimum non modò *pro salute & incolumitate*, sed etiam *pro gloria & decore* divino bellum gerit *Europa*) ex indignissima *Græcorum* discordia, invénit, quum in *societatem belli civilis*, ad barbaricas *opes*, & *operas* planè confugerant, rati *plus in profana gente fidei, quàm Christiana se inventuros. Imprecarer meritò, ut Dij immortales Græcis malè faciant;* nisi facinoris sui sât pœnarum expendissent, quippe quorum imperium olim splendidissimum, clarissimúmque *armis, juxtà literísque fulgebat*, adeò unica societate Turcica, collapsum est, ut ejus memoria extincta sit; *præludiô profectò aut potiùs exemplô omnibus illis, qui speciosô Turcarum patrociniô, perjurio latebram quærunt*, & patriam in miserrimam omnium servitutem redigunt. Nec postremô locô SIGISMUNDI meritum hoc proponendum, dum primus Axioma illud ROMANI IMPERII maximum in *Hungariam* intulit, illiúsque MAJESTATEM *Divinitati Sacræ Coronæ* consociavit, *satìs felicibus auspiciis, ùt existimo, & illo DEI potentissimi consilio, ut Hungari tantò securiùs apud Christianos Principes, contra perpetuos nominis*

Discordia Græcorum attraxit hostes in Christianos.

Ruinæ Imperij Orientalis causa potissima.

Prima conjunctio societásque Sacræ Coronæ, cum Imperiali Diademate.

Divinô consiliô, bono Hungariæ facta.

Christiani hostes, suis jam jam imminentes cervicibus haberent auxilium.

Albertus à Sigismundo adoptatus.

SIgismundus postquam vitæ diem clausisset, ALBERTUS *Austriæ Archidux*, gener ipsius, per biennium Regni habenas moderatus est : cui cùm *dignitas Imperatoria*, à SEPTEMVIRIS ROMANI IMPERII offerretur,

Ad Imperium consensu Hungarorum profectus.

nec nisì consultis, consentientibúsque *Hungariæ* Proceribus eximium illum honorem suscepisset; custos *Diadematis sacri* GEORGIUS PALOCSI, ARCHI-EPISCOPUS STRIGONIEN. fuit: quô defunctô, ALBERTUS Rex ocyssimè STRIGONIUM se contulit. Ipsa verò Regina thesaurum recognoscendo *Sacrum Diadema* surripuit, & mulierculæ cuidam occultandum commisit. *O sortem Sacræ Coronæ miserandam! quis enim non commisereatur? & doleat? æstu fœmineo Regni sacrum insigne auferri, rapi? ac indignæ aniculæ sinu occultari?* dissimili profectò modo aut fato ; dum curru triumphali Proceribus succolantibus & triumphantibus portaretur. At hic insignis dolus Reginæ haud infelicirer cessit.

Mira sors Sacræ Coronæ, fraude fœmineâ contigit.

Wladislaus Polonus Interrex.

EXtincto enim ALBERTO Rege, & IMPERATORE morte immatura, WLADISLAUS

SLAUS ex POLONIA consensu ELIZABETHÆ viduæ accersitur, ante cujus adventum ELIZABETHA enixa est *Posthumum* LADISLAUM nuncupatum, móxque à partu consilij prioris pœnitudine ducta, infantem vix quadrimestrem in cunis vagientem, *Coronâ*, quam abstulerat coronari fecit. Peracta ex voto nati Coronatione, denuo novas *Sacræ Coronæ* insidias struit. Ad arcem quippe *Wissegrad* cum Proceribus profecta, locò *Coronæ veræ* suppositicium quid, in arcam præstigij dexteritate freta, recondit, subductâ genuinâ, & unà cum filio FRIDERICO TERTIO IMPERATORI traditâ.

Ladislaus infans in cunis coronatur.

Duplex fraus, & sacrilegium fœminæ in Sacra Corona.

HÆc *nova profectio* fuit CORONÆ, dum incauti & incircumspecti *Hungari*, peregrinæ fœminæ confisi, *Divinum Regiæ Majestatis insigne*, per sacrilegium perdiderunt, atque apud eos diversata, quibus cum *Hungaris, non tam antiqua, quàm ingenita odia, atque dissidia intercessêre.* Unde diuturnæ discordiæ, & assidua, cruentáque bella promanârunt. Fuit id temporis *Asservator Sacræ Coronæ* LADISLAUS GARA *Banus*, Reginæ ipsius ob exploratam fidem consultor intimus, nec desunt ex *Historiographis*, qui affirmant ipso conniven-

Conservator Sacræ Coronæ malæ fidei luit pœnas.

nivente *Coronam* surreptam fuisse, qua de causa publicis conviciis, & probris affectus, captus, privatúsque *Præfectura Wissegradiensi* perhibetur. Huic aliqui VINCENTIUM SCIAMATULEUM substitutum volunt: Is quis fuerit, mihi sanè non satis liquet; *Bonfinius* quidem recenset eum inter *Polonos*, qui WLADISLAUM SARMATARUM Principem, in *Regnum Hungariæ* sequuti fuerant. Eundem quoque JOANNES HERBURTUS, in *Cronico suo* Polonico, in *comitiva* dicti Regis fuisse testatur, & à Rege *Præfectura Wissegradiensi* honoratum refert: Etsi verò WISSEGRAD peregrinum istum potitum fuisse, concedo: *Coronæ* tamen *custodia* committi illi haudquaquam potuit, cùm illa tempestate, in potestate *Friderici Imperatoris* fuerit. Idcirco mea quidem opinione, inter *Conservatores Regiorum insignium*, hic nullô pactô annumerari debet. Et quid indignius obsecro, aut inauspicatius evenire potuisset? quàm posthabitis patriæ gentis viris (*quibus amorem & honorem sacri Diadematis, natura ipsa quodammodò ingeneravit*) externis non absque injuria *prærogativæ gentis nostræ* contra leges patrias, nec non sinè summo periculo, hanc provinciam concredere.

Assertio Sacræ Coronæ externis committi nec potest, nec debet.

Enim-

Enimverò *rerum Hungaricarum Scriptores* (ut hoc obiter addam) ùt in aliis non paucis, ità in *denominationibus* quoque *personarum*, & locorum hallucinantur frequentissimè, nomina aut cognomina, vel intermittunt, vel etiam perperam ponunt. *Bonfin.* facit mentionem *Athæ Palatini*, *Ladislai Wayvodæ Transilvaniæ*, *Blasij Conservatoris Coronæ*, *Emerici Thesaurarij*, *Simeonis Præfecti Strigonij*, ut plura taceam, at non appositio cognomine, qui illi fuerint, quis intelligat? Inde ego sæpe conqueri, & infelicitatem gentis nostræ accusare soleo, quòd licèt Majores nostri, ingeniô, viribus, ac armis excelluerint; pauci tamen reperti sint, qui res patrias literis mandâssent, contenti forsitan virtute, quæ *laudata patrare novit*, *laudari negligit*, nec prosperam suorum gestorum memoriam reliquerint posteris, ignari prorsus, *contemptu famæ contemni virtutes. Suum cuique decus posteritas rependere solet, Heroásque honor Annalium æternus, non brevis & plebeia prædicatio colit & consecrat.* Suscepe-runt quidem id oneris, exotici viri eruditi; at quos in *denominationibus personarum*, *locorúmque Hungariæ*, quæ ipsa ad intelligendam *historiam* sunt apprimè necessaria, frequenter

Obscuritas Nominum Sacræ Coronæ Conservatorum.

Vera de Hungaris querimonia.

per errorem lapsos fuisse, nemo ibit inficias. Liceat mihi quæso bonâ eruditorum veniâ aliquot ejuscemodi in nominibus Hungaricis errores, in medium proferre. *Jovius* eloquentissimus, familias alioquin celebres, in sua historia *Pechrios*, *Sircanos*, *Secalos*, *Gleſſas*, *Dotias*, *Turacos*, *Janos*, *Panphilos*, *Ferenczios*, *Gnaros*, *Americos*, *Hibachos*, *Moreos*, *Zdrinios*, *Bachianos*, *Revalios*, *Scendenas* nuncupat; *Melchior Zoiterus* profert in medium: *Vagitium*, *Turro Vallam*. *Petrus Bizarus*, *Turrigerum*. *Callimachus Huniadianum*. *Joannes Herburtus*, *Thomam Tharczium*, *Matkonem*, *Tallontium*, *Emericum Marcellum*. *Caſparus Ens* ſcriptor noſtrorum temporum non malus, meminit *Sigismundi Ragaczij*, *Eliæ Haſquij*, *Joannis Januſij*, *Budiani*, *Iſtvvanij*. *Michaël Neander*, *Urantij*. Acutus ille, & ſubtilis ſit oportet, qui horum nomina vel cognomina divinando quoque aſſequi poſſit. Sed hos errores ſcriptoribus ipſis corrigendos commendans, ad noſtra revertor.

Error in Nominibus propriis, ac Cognominibus ut plurimùm ex ignorantia linguæ.

Corona apud FRIDERICUM IMPERATOREM deliteſcente, ULADISLAUS rite coronari nequivit; quocirca *deſumptam Coronam*, quâ *ſimulacrum ſancti Stephani Regis* in *ſacel-*

Uladislaus Sacrâ Coronâ non eſt coronatus: ideò pro Interrege habendus.

sacello ALBENSI positum, exornatum erat, Regi ULADISLAO viro fortissimo imponunt. Ac qualis illa fuit *Coronatio*, utpote nec genuina, nec usitata, & nec auspicata; ità status *Hungariæ* infelix, afflictus, odiis, dissidiis, studiis diversorum Regum, bellísque intestinis æstuabat, atque omnia interregni incommoda patiebatur, manifestè *violatæ Coronæ Majestatis* argumentô. Nam quod in ipsius Religionem divinam committitur, in omnium fertur injuriam, damnúmque. Donec ruptis cum *Amurathe* induciis ad *Varnam* oppidum *Bulgariæ* infeliciſſimè pugnatum, atque in hoc funestissimo prælio, ipse quoque ULADISLAUS cum flore Nobilitatis occubuit, *veluti piaculares, ob absentiam Coronæ, victimæ.*

LADISLAUS itaque POSTHUMUS, ALBERTI *Regis Huugariæ* filius, in Regalibus Comitiis, omnium voce ac consensu Rex declaratus est. Erat is tunc unà cum *sacra Corona* in tutela & manu IMPERATORIS FRIDERICI TERTII, ad quem primò missi Oratores Regem suum LADISLAUM postulaturi, cùm nihil impetrâssent; JOANNES HUNYADI per Ordines in publico Comitio GUBERNATOR Regni declaratus fuit, & communi consensu & publicô

Ladislaus posthumus Rex declaratus, ablatis patriæ dissidiis.

Joannes Huniades Gubernator Regni, Dux pro S. Corona.

Commune Hungarorum decretum de repetenda à Cæsare Corona.

Comitiorum decretô Regem, & *Coronam armis* repetere jussus est. *Cæsar* nec precibus, nec armis, bellô, incommodis, & damnis, ut Regem restitueret; adduci potuit. Ac etsi tardè, obsessa NEAPOLI urbe *Austriæ* munitissima, septimô pene annô LADISLAUM jam duodecennem recuperârunt: tamen *Corona* extorris adhuc permansit, gratissima enim fuit injustis possessoribus tanti thesauri possessio, & ipse *Fridericus Imperator*, cùm magnitudinem, & summæ fortunæ gravitatem Regni *Hungariæ*, in manu retineret, invidiam omnem, ac quamlibet avaritiæ, & injustitiæ notam spernebat. Et profectò aut bellum æternum, & anceps Hungari gerere debuissent, aut in perpetuum splendore, ac luce *sacræ Coronæ* caruissent, nisi fata, ac indulgentia fortunæ Hungaricæ totam laudem, ac gloriam recuperationis *Divo Matthiæ primo Regi invictissimo* reservâssent.

Matthias Primus summô S. Coronæ bonô in Regem eligitur.

ETenim LADISLAO POSTHUMO morte repentina extinctô, MATTHIAS filius JOANNIS CORVINI, è captivitate *Bohemica* liberatus, & ad Regium culmen felicibus fatis evectus est. Hoc Autore, hoc Duce, ac Vindice *Corona* pòst fortunatius oppidò sydus *Hungariæ* apparuit.

Exactis

EXactis enim pene viginti quinque annis, ad *patrios lares* redîit, cùm poſt graviſſima bella, vaſtitates, cladésque funeſtas, de redemptione ejus, *ſexaginta millibus aureûm*, cum FRIDERICO CÆSARE pactum fuiſſet. Hanc repetitum emiſſi viri primi ſubſellij: *Stephanus Colocienſis Archi-Epiſcopus. Joannes Varadienſis Præſul. Nicolaus Vjlaky Wayvoda Tranſilvaniæ, Machovienſis & Regni Sclavoniæ Banus. Ladislaus de Palócs Judex Curiæ. Emericus Zapolya ſummus Regni Theſaurarius. Benedictus Thuroczy. Graviſſimi iſti Senatores* negotium ſibi demandatum, & ſuſceperunt libenter, & obiêrunt gnaviter, quóve omnia pro dignitate perficerentur, adjuncto trium millium equitatu ornatiſſimo, in AUSTRIAM, NEAPOLIM versùs ubi *Corona* à CÆSARE FRIDERICO aſſervabatur, iter maturant, quos ubi appropinquantes *Cæſar* cognoviſſet, portas præcludi, & milite firmari, circáque mœnia armatos diſponi juſſit. Legatis autem per ſuos numeroſum acceſſum exprobravit, aſſerens non tali modo obiri ſolere legationes, ſed vaſtari agros, oppugnari Civitates. VARADIENSEM ANTISTITEM cum ducentis equitibus advenire paſſurum, cæteros

Reditus ſacræ Coronæ in patriam poſt viginti quinque annos.

Cæſaris erga Duces exercitúmque Hungarorum diffidentia.

velle, ut retrocedant. *Episcopus* cum dicto numero Civitatem ingressus est; reliqui SOPRONIUM se contulerunt. Postquam igitur mensis consumptus esset in rebus transigendis LADISLAUS PALOCSI vir ætate gravis ad *recognitionem Coronæ* accitus est: duas quippe ad similitudinem veræ, fabricatas *Coronas* apud *Imperatorem* existere, rumor quidam increbuerat. Agnitâ ergo ex indicio quodam, per PALOCSIUM *genuinâ Coronâ* reliqui Legati cum splendidissimo equitatu ad NEAPOLIS pomeria advenerunt. Ubi ultro citróque nova orta disceptatio, siquidem nec *Cæsar* in restituenda *Corona*, nec Legati MATTHIÆ Regis in auro assignando primi esse voluerunt. Tandem utrinque fide data, ad portam uno eodémque tempore *Corona* accepta, & pecunia tradita fuit. Difficile est dictu, quanta cum gratulatione, tripudiô, quâ pompâ, quô gaudiô, toto eo itinere illius visendæ causâ, multi passim confluxerint? quantáve pompâ & concursu *Budam* delata fuerit.

Recognitio Coronæ inter duas similes dolô malô fabricatas.

Precium Coronæ sexaginta millia aureorum numeratum.

MATTHIAS verò *recuperatâ Coronâ*, secundissimis successibus, cum *Orientis*, & *Occidentis Imperatoribus*, uno tempore bellum gessit. *Venetos* sibi stipendiarios fecit, red-

Felicitas Hungariæ, Coronæ assecla.

reddidit. *Viennam* expugnavit. NEAPOLIM *Austriæ*, pro cujus portis *sacræ Coronæ* precium aliquando numeratum fuerat, cum tota propè *Austria* occupavit. MORAVIAM, itidem utramque SILESIAM, & LUSATIAM subegit. Multa denique domi forisque præclara gessit, diuturnúmque, ac invictum fuit ipsius imperium. *Quod luculentius Divinæ providentiæ in sacra Corona argumentum? dum domi quiesceret, Regnum ipsius, prono quodam cursu, omnium rerum beatissimo successu, felicitas comitata est.* Et pene divinitatis præsentissimæ testis. Absentiæ verò suæ tempore, ab ipsis Hungaris tanquam negligentibus cultoribus, aut aliis eam quacunque arte violantibus, quin & eorum hæredibus, gravissimas exegit pœnas. Sed enim dum post fatum *Matthiæ Corona* venisset in *Joannis Corvini* filij ipsius ex illegitimo thoro prognati potestatem: novos iterum nacta est competitores, unde novæ oriuntur atque periculosæ tempestates. Proceres quippe in varias diversásque partes discedunt. Alij Optimatum ULADISLAUM ex *Bohemia*; ALBERTUM ex *Polonia* alij advocant; pars CORVINUM ad gubernacula Regni optat, sive ob virtutes, patrísque merita, sive quod in manibus ipsius *sacra Corona* haberetur. Sacra Corona in potestate Joannis Corvini fuit.

Tan-

TAndem cùm diu multúmque diversis, ab Ordinibus sententiis certatum esset; in ULADISLAUM in visceribus Regni, cùm non contemnendà militum manu existentem, consentiunt, qui mox WISSEGRAD *sedem Coronæ* cingit obsidione, & cum *Corvino* de *Coronæ* spontanea restitutione, magnô studiô laborat. Sed dum ULADISLAUS *Coronam* consequi contendit, ejúsque sedem oppugnat; MAXIMILIANUS *Cæsar Vienna* & reliquis *Austriæ* Civitatibus, totáque illa provincia potitus; ALBAMREGALEM in suam redigit potestatem: WESZPRIMIUM expugnat. Tanti constitit *Hungaris* de *Corona* ULADISLAO cum CORVINO concertatio. CORVINUS, licèt à Turcico Tyranno ultrò validissima paterni Regni potiundi causâ, auxilia offerrentur, tamen amore flagrans patriæ, ad concordiam intendit animum: consecutúsque *Ducalem dignitatem*, cum nonnullis ditionibus, annuit restitutioni *Coronæ*. Injunxítque mox BLASIO BUDENSI *Coronæ Asservatori*, ut eam unà cum Castro WISSEGRAD ULADISLAO redderet. Procul dubio eò quòd ex *Corona sacra* utilitatem, & commodum proprium quærebat, brevissima vitæ usura functus, possessione *Coronæ* diu gaudere

Uladislaus armatus Coronam appetîit.

Joannes Corvinus patriæ motus concordiâ, coronam restituit.

dere non potuit. Sed nec hæredem ullum reliquit: dum universa ipsius Castra atque possessiones ad *Coronam* rursus redière.

Fatóne urgente Hungariam? ut dignitas sacræ Coronæ ad externos transferretur, generísque Regij decore planè careat: An verò quod *Corona* injustam in Corvino genituræ notam pro sua sanctitate aspernata fuerit?

ET non sinè stupore quodam, ac admiratione & anxietate animi hoc loco considero, SANCTAM nostram CORONAM non potuisse evadere illam certissimam, & à sapientibus multùm decantatam, fatalémque circa *quingentesimum annum*, post mortem nimirum MATTHIÆ PRIMI mutationem. Ità enim prorsus accidit in multis Rebuspub. ut dominatus, civilésque status variarentur, imò naturæ quadam (ut sic dicam) *Oeconomia*, si non penitus conciderent, atque ad nihilum redigerentur, tamen insignem circa *Quintum sæculum* cladem, ac mutationem sortirentur. In ASIATICO *Imperio* satis constat illud fuisse penes *Assyrios* 520. annis, post quod tempus MEDI illud occupârunt. ATHENARUM *Imperium* à *Cercope* usque ad *Corum annis* 490. durâsse constat, & post illos *in Democratiam* mutatum.

Anni quingentesimi in Sacra Corona vis.

Commune Regnorum fatum, ac similitudo.

Asiatici.

Athenarum.

Lacedæmoniorum. Totidem annis floruit LACEDÆMONIORUM Respub. sub Regibus *Heraclidis* à *Lycurgo*, *usque ad Alexandri Magni* ætatem, sub quo concidit. *Annis circiter* 500. ab expulsis Regibus usque ad *Monarchiam Augusti* rexerunt Rempub. *Romanam Consules*.

Romanorum.

Non dissimili profectò ratione usque ad mortem MATTHIÆ PRIMI, *Annô Regni* 490. computando, à SACRÆ CORONÆ *ortu*, & regimine DIVI STEPHANI, annô *Christi* M. *Hungariæ Regnum* ad summum Majestatis ac vigoris culmen, & apicem perductum, florentissimum ac potentissimum, Rege nimirum proprio & invictissimo, habitum fuit.

Hungarorum.

ϛάσις, & summus flos Regni Hungariæ.

Inclinatio, & decrementum. Mox verò circa hoc tempus ULADISLAO BOHEMO succedente, sensim labascere, fatiscere, defloresçere, variis de causis, quas non lubet hìc numerare, continua tandem calamitatum successione, usque ad hæc nostra tempora, quibus Hungaria decumanas pœnas sustinet à fero illo, & capitali Christianorum hoste: quem nisì viribus conglobatis Christiani Principes oppugnent, verendum, certè verendum; ne nos in exosam redigat servitutis conditionem.

O *Tempora! ô mores!* verè possum dicere, quod de suo ævo scribit *Pomponius Lætus: Mali dæmones sic implicuêre nostras mentes: ut relictis veris hostibus, quos longa pace frui permittimus, in nos, nostrorúmque membra armatas, & sanguinolentas convertamus manus. Intereà culpandine Principes? qui ad tam pernicioſum facinus stipendia solvunt, judicent alij. Illud verò ausim dicere: Christianos omnes sub uno signo* CRUCIS *militare, nostram Religionem unicam esse, Rempub. unicam ipsius Dei urbem, cujus nos cives sumus, & bellum inter nos esse non posse, nisi civile.* Sed ad rem revertor.

PORRÒ *Coronam* cùm WISSEGRADO EPISCOPUS ZAGRABIENSIS *Budam* in ædem *Divæ Genitricis, Regni Metropolitanam* deferret, omnia ei Sacerdotum collegia, & Ordines occurrêre: & binis creatis ASSERVATORIBUS URBANO videlicet Agrienſi EPISCOPO, & STEPHANO *Báthori*, currui imposita, frequentissimo Procerum comitatu, Rege subsequente, in arcem Regiam honestissimè delata, ibíque dispositis excubiis in Coronationis usque diem asservata fuit.

Duúmvirúm Sacræ Coronæ Magistratus primùm est conditus communi consensu.

AC hoc planè tempore cùm *sacra Corona*, sæpe unius tantùm fidei, & curæ commit-

teretur; quòd serò sed seriò *tot exemplis periculisque moniti Hungari* sapiendo, de securiori, & severiori conservatione *sacræ Coronæ* providerent; DUUMVIRATUM SACRI DIADEMATIS LATA LEGE condiderunt. Qui mos, præterquam quòd non perpetuum inferat *Magistratum*, & ad *Politicos tandem solùm translatus*, absentiâ *sacræ Coronæ* interpolatus, tandem (ùt infrà dicitur) REDDITÂ *patriæ Coronâ sub* MATTHIA *Cæsare* restitutus est.

Causæ venerationis Coronæ apud Hungaros.

SI miretur prætereà quispiam, cur natio nostra in suæ *Coronæ custodia*, præter alia Regna, adeò anxia, sollicitáque fuerit? cur pro ea partim tuenda; partim recuperanda, tantas opes profuderit? tot bella gesserit? clades funestas, cædes cruentas, dare & accipere non horruerit? is, *ùt mea fert opinio*, mirari desinet, si hujus causam præter omnia hæc, quæ in medium attuli, pensitaverit accuratiùs. Testor ego illos, qui vel domestici vel peregrini, *Diadema* istud à longinquo conspexêre; dicant ingenuè: an non illos singularis quædam veneratio ejus incesserit? Præsertim verò nostri, *dum divina revelatione, & Angeli jussu Primum Regem Hungariæ Sanctum Stephanum Corona isthac potitum esse, nôrunt, profitentúrque; non solùm ut capitis*

Regij

Regij decus & Majestatem tueatur: Sed magis ut veritatis Christianæ agnitæ & professæ, Hungarorum æternum sit symbolum atque monumentum. Idcirco eam peculiari cultu venerantur, pro sacra reputant; & nescio an Magnes ferrum ad se trahat fortiùs, *quàm isthæc Corona, occulta quadam sua vi, magneticáque virtute, ad sui studium & observantiam ducit*, impellítque. Indéque fit, ut quocunque se vertat, *Pannones* suos bellicosos rapiat, universis impensis flocci habitis, contemptísque periculis, & adversitatibus, sequi eam, & à quavis injuria vindicare necessum ducant. Addo, quòd cùm in patria nostra *Electione* plus pene valeat *Coronatio*, quæ non aliâ, quàm *sacrâ Coronâ* legitimè peragi possit, ad custodiam ejus major cura, diligentiáque adhibetur. Non pauci reperiuntur *Cæsares*, ut nihil de *Regibus* dicam, qui summa illa *Imperiali Corona*, non sunt insigniti: siquidem *aurea illa Cæsareáque* Corona, quâ soli *Romani Pontifices* coronandi jus & facultatem habent, ROMÆ tanquam *Urbe veteris Imperij, honore, Antiquorum triumphis, & stupendis supremæ fortunæ monumentis longè clarissima dari*, ibidémque Coronatio peragi, aut ubicunque in Italia solet. Italica verò profectio plerisque

Major vis Coronationis, quam Electionis.

Diversa æstimatio Imperialis Coronæ, quâ Pontifices coronant Cæsares.

Imperatoribus, ſicut & eorum clientibus, qui illos comitari tenentur, ſumptuoſa neque periculi expers exiſtimata fuit. Sanè RUDOLPHUS HABSPURGUS ejus nominis *Primus* IMPERATOR, Diadematis Imperialis accipiendi causâ *Italiam* ſalutare abnuit, quòd *Cæſarum in Italiam proficiſcentium, veſtigia læta, & ſpei ſplendidæ plena; ex Italia verò redeuntium triſtia, luctuoſáque extitiſſe noviſſet.* Hic tamen Imperator, ſicut CONRADUS quoque *Primus & Secundus*: HENRICUS auceps: LUDOVICUS QUARTUS, & multi alij, quin & FERDINANDUS, MAXIMILIANUS, RUDOLPHUS, *ſola Electione pro veris & legitimis Cæſaribus habiti ſunt*, plenariáque *Imperiali Jurisdictione*, atque *Autoritate* potiebantur. *In Hungaria* verò, etiamſi conſenſu atque ſuffragiis omnium Ordinum Rex pronunciatus ſit, & Regni habenas compluribus annis cum laude tenuerit, niſi vetuſtiſſima iſthac *Corona* redimitus & conſecratus fuerit, *nulla indulta, nullæ collationes, nulla ejus Privilegia locum vel pondus aliquod habent, & meritò pro Interrege cenſetur.* Exemplis iſtud declarare pluribus facilè omnino eſſet, miſſis aliis, unum atque alterum referam. Quem fugit ULADISLAUM ELECTUM

Multi Imperatores contenti ſola Electione, Autoritate plena ac integra fungebantur.

In Hungaria Electio ſinè Coronatione vim non habet.

Sanctionum, legum, vis, poteſtas à Corona.

CTUM Regem *Hungariæ* fuisse, & pro defensione nostræ patriæ, Marte aperto ad VARNAM, cum potentissimo *Turcarum Imperatore* AMURATHE fortiter, animosè, & magnanimè planè depugnâsse, in eodémque prælio mortem oppetîisse. Sed siquidem *Coronâ Sacrâ* coronatus non fuit, nulla ipsius *Privilegia* momentum aliquod habent. Sic nec MATTHIÆ PRIMI Donationes, totô ferè sexenniô ante Coronationem emanatæ, nisi post Coronationem per eundem fuissent confirmatæ & stabilitæ, vigoris vel firmitatis alicujus sunt. *Hungariæ* certè Reges maximum dignitatis vigorem, decúsque à *sacra Corona* petere haberéque existimantur, huic *condere leges salutares utilésque*, *inutiles antiquare* permittunt. Hanc velut *legem legum* statuunt, hanc pœnarum ac talionum discrimina pensare, huic *juramenta* solennia præstare, huic *hæreditates sacras & profanas* adscribere dicaréque, peculiáque omnia sua, tanquam ad fontem, unde omnia profluxerant redigere, *Hungari* consuevêre; unde *Castra* complura, & *Civitates Liberæ ac Regiæ bona sacræ Coronæ* nuncupata, *sanctam & inviolatam obtinent legem*, ut nec Regi ipsi, nec cuipiam alij, mortalium, ad alium usum fructúmque

Matthiæ I. electi Regis leges, ante Coronationem latæ, non obligant.

Munia sacræ Coronæ propria.

Bona Coronæ inviolatam habent legem.

que conferre (& ùt nos loquimur) abalienare liceat. *Denique tanta vis ejus est, ut non modò in legem Majestatis peccet, qui illam lædere præsumat, sed in ipsam Religionem & Divinitatem delinquat.* Illud admiratione non est indignum, Regna ampliſſima, antiquiſſimáque *Sclavoniæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Bosniæ, Serviæ, Gallitiæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæ, per Reges Hungarorum* olim annexa & conjuncta, quæ extra omne dubium aliorum inſtar Regnorum ſuis gaudebant Coronis; tantum tamen Regna illa ſtudium & veneratio *Angelicæ Coronæ* accendit, inflammavítque, ut neglectis propriis Diadematibus, hoc unicum obviis amplecterentur ulnis, & Reges ſuos, qui hâc *Coronâ* exornantur, agnoſcerent: Sic *Angelica iſta Corona* ſplendorem Coronarum, plurium Regnorum ſua luce obſcuravit, ità ut non modò non ſit earum ampliùs uſus; verùm quò illæ devenerint, vix liqueat. Et quod hactenus adhuc illæ Provinciæ, nomina, memoriam, famámque Regni, quantumvis à *Tyrannide Turcica*, majore ex parte occupatæ, apud *Chriſtianos* obtineant, id totum beneficium *Sacræ Coronæ* acceptum referre debent. Neque intra ambitum Regni Partiúmque annexarum, *ſicut Cœlum, vel mundus*

Corona novem Regna, ſua Religione comprehendit.

Corona Monarchiam amat, & obtinet.

dus hic alterum Solem ; aliam Coronam tolerare poteſt. Meminimus quidem BOCSKAJO Coronam ab ACHOMATE *Turcarum* Tyranno transmiſſam, capitíque ejus per ALI-BASSAM impoſitam fuiſſe. At quis hujus exitus, patriæque tum temporis ſors fuerit? ſilebo, *ne commemorando cicatrices vulnerum noſtrorum refricentur & recrudeſcant.* Præſentiam verò in Regni viſceribus *Coronæ* illius, quàm acerbè & moleſtè *ſapientiores patriæ Cives* tulerint? tam ex *Viennenſibus Concluſionibus*, *quàm Conſtitutionibus Regni*, ſatis ſupérque palàm eſt; quam quidem nonnulli quondam *Regni* SERVIÆ fuiſſe perhibent, inde conjecturam capientes, quòd AMURATHES pulſo *Rege* SERVIÆ, ac RASCIÆ DESPOTA GEORGIO cum filiis captô, & filiâ in matrimonium lectâ, in partem theſauri ſui, hanc eandem Coronam recepit, apud quem latuiſſe illam, vero non eſt diſſimile. Sed nos miſsâ, & valere juſsâ, miniſteriô Turcicô, delatâ Coronâ, ad *Angelicam Coronam* orationem revocemus.

Corona patrociniô, & miniſteriô Turcicô delata Hungaris, ùt ominoſa, ſic rejecta.

Opinio de Corona Regum Serviæ veriſimilis.

DIximus URBANUM EPISCOPUM, & STEPHANUM BATHORI aſſervâſſe *Coronam* Regni; his STEPHANUS SIRMIENSIS EPISCOPUS, & ANDREAS BATHORI

Nobilitas Hungarica repetit Coronam.

succeſſerant, verùm ab iis à *Nobilitate Regni* *Corona* repetita eſt : videbatur quippe multis, *non minùs indignum, quàm periculoſum, perpetuam tantæ rei illis cuſtodiam* permittere. Et committitur aſſervanda, interpoſitô jurejurandô STEPHANO de ZAPOLYA PALATINO, THOMÆQUE EPISCOPO JAURINENSI. Iſtorum *Aſſervatorum ſeu Duûmvirûm ſacri Diadematis* tempore arcis WISSEGRADIENSIS *Caſtellanus* fuit LADISLAUS KOLOS, de NÉMA. Qui de more antiquo *Hungariæ* certa quadam & ſtrictiſſimâ *obligationis*, & *juris jurandi formulâ* cuſtodiæ & conſervationi *Coronæ ſacræ* initiabatur ſuo & Ducis ſui nomine.

Novos Conſervatores conſtituit.

Quæ cùm memoriâ non videatur indigna, huc de verbo ad verbum adſcribendam duxi : ut pateat quoque modus, qui in cuſtodia *Coronæ ſacræ* olim obſervatus fuit, evidénsque ſit Majorum noſtrorum ſtudium, ſedulitas atque diligentia.

FOR-

FORMULA PRIMA OBLIGATIONIS ET JURAMENTI DATA THOMÆ EPISCOPO JAURINENSI PRIMO DUUMVIRO SACRI DIADEMATIS.

EGo *Ladislaus Kolos de Néma, Castellanus Castri Wisségradiensis recognosco, & tenore præsentium notum facio, quibus expedit universis. Quòd ex quo Reverendissimus in Christo P. D. Thomas Episcopus Jaurinensis, & electus Agriensis, Dominus meus, inter reliquos familiares suos, me in Castellanum Castri hujus Wisségrád, ad custodiam sacræ Coronæ præfecit, & deputavit. Ob hoc promitto eidem sub fide mea Christiana, ac sub honore & humanitate mea, juróque per Deum vivum, & per Virginem Mariam, omnésque Sanctos, quòd eidem Domino meo* EPISCOPO *amodò in hoc officio fidelis ero, & fideliter serviam, dictúmque Castrum & sacram Coronam, fideliter custodiam & conservabo. Cæterùm, si ipsum Dominum meum Episcopum, aut mori, aut fortunâ adversâ opprimi contingat, Castrum ipsum Wisségradiense, & ipsam Coronam, quoad partem ejusdem Domini mei, & locò sui Venerabili Domino Francisco Præpo-*

I. Formula obligationis, & juramenti, Coronæ præstiti à Castellanis Wisségrád.

ſito Budenſi, Germano ſuo fideliter aſſervabo, & ſacram ipſam Coronam, de loco illo, ad quem idem Dominus meus, unà cum Spectabili ac Magnifico Domino Stephano de Zapolya, Comite Scepuſienſi, & Regni Hungariæ Palatino, repoſuit, ſinè ſcitu, & libera voluntate, ac expreſſo conſenſu nunquam removebo, neque manus meas ad illam apponam, & neque Regiæ Majeſtati, neque Prælatis & Baronibus, neque aliis quibusvis illam aſſignabo. Quandoquidem verò idem Dominus meus Epiſcopus, aut in caſu præmiſſo præfatus D. Franciſcus Præpoſitus à me, idem Caſtrum, & eandem ſacram Coronam, quoad partem ſuam rehabere, méque inde removere, & alium locò mei præficere voluerit, ſinè omni difficultate & renitentia, quæſitóque colore, remittam & reſignabo. Hoc tamen addito: quòd nec eundem Dominum meum Epiſcopum, ſed neque præfatum ejus Germanum, cum tot hominibus ad Caſtrum ipſum intromittere tenear, quot me & ſocio meo Caſtellano, vel ad nos pertinentibus, potentior ſeu fortior fieri poſſit, neque etiam plures gentes, ejusdem Domini mei, vel etiam Germani ſui, intromittere & acceptare tenear, quàm eſt ordinatum, vel quàm ſocius meus, Caſtellanus ſcilicet Domini Palatini, pro tempore habe-

habebit. Si tamen continget, quòd aliquis Potentûm Castrum ipsum obsideret, in tali casu, gentes ejusdem Domini mei Reverendissimi, & Præfati D. Palatini, vel Spectabilis ac Magnifici D. Joannis ejusdem filij, æquali tamen numero, cum socio meo pro tempore constituto, pro Castri defensione intromittere sim obligatus. Quòd quoad custodiam & conservationem hujus Castri Wissegradiensis & sacræ Coronæ, debitè & præcisè eandem fidelitatem, quam ipsi Domino meo Episcopo, & consequenter dicto Domino Francisco ejus Germano tenere sum obligatus; etiam Præfato D. Palatino & consequenter dicto ejus filio D. Joanni tenere debeam & sim adstrictus, nihilque plus in hac parte ipsi Domino meo Episcopo, & dicto Germano suo, quàm Præfato D. Palatino, ejúsque filio D. Joanni sim obligatus. Quæ omnia sub præmissa fide mea Christiana, & sub amissione honoris & humanitatis meæ, ac incursione perpetuæ infamiæ ac perjurij, eidem Domino meo Thomæ Episcopo, & Præfato D. Francisco Præposito, ejus Germano fideliter, inviolabiliter, inconcussèque iterum atque iterum juro & promitto observare. In cujus rei fidem, ac testimonium & robur, præsentes literas sigillô meô propriô, cum propriis ar-

mis nobilitatis meæ consignatas, eidem Domino meo Episcopo, & consequenter Præfato suo Germano, dedi & assignavi. Datum in præfato Castro Wissegrád. Annô Domini 1493.

ALTERA OBLIGATIONIS FORMULA DATA STEPHANO ZAPOLYA PALATINO REGNI HUNGARIÆ SECUNDO DUUMVIRO SACRI DIADEMATIS.

EGo *Ladislaus Kolos de Néma, nomine Reverendissimi Domini mei Thomæ Episcopi Jaurinensis & Agriensis Ecclesiarum, &c. Castellanus Castri Wissegradiens. recognosco, & tenore præsentium notum facio, quibus expedit universis. Quòd ex quo idem Dominus meus Episcopus Castrum hoc Wissegradiense, & Sacram hujus Regni Hungariæ Coronam, de voluntate Regiæ Majestatis, & totius Regni, cum Spectabili, ac Magnifico D. Stephano de Zapolya Comite Scepusiensi, & ejusdem Regni Palatino, pariter ac communiter tenet, méque Dominus etiam Episcopus, in Castellanum ejusdem Castri, & custodiam sacræ Coronæ, præfecit ac deputavit, vellétque ut ego eundem D. Palatinum de observanda sibi fidelitate, tutum ac securum redderem: Ob hoc promisi eidem, promittóque*

tõque sub fide mea Christiana, & sub honore ac humanitate mea, jurõque ad sancta Evangelia, & per Deum vivum, & Gloriosam Virginem Mariam, omnésque Sanctos, quòd in conservatione & custodia, eorundem castri & sacræ Coronæ, eidem D. Palatino, & se eum aut mori, aut fortunâ adversâ (quod DEUS avertat) opprimi contigerit, Spectabili ac Magnifico D. Joanni ejus filio directè & præcisè eandem fidelitatem servabo, quam Præfato Domino meo Episcopo, & consequenter Venerabili D. Francisco Præposito Budensi ejus Germano sum obligatus, & quòd in hac parte, nihil plus, neque magis eidem Domino meo Episcopo, & ejusdem Germano, quàm ipsi D. Palatino, & dicto filio suo obligatus & obstrictus esse volo. Item: quòd contra ipsum D. Palatinum, & consequenter in casu præmisso, contra dictum suum filium, D. Joannem, eorundémque Castellanum præsentem & futurum, & ad eosdem pertinentes, aliquô ingeniô, arte, dolô & fraude palàm vel occultè, directè vel indirectè, nihil omnino in habitatione ipsius Coronæ & Castri attentabo, nec attentari faciam, quõdque Coronam ipsam de loco, ad quem in hoc Castro Wissegrád Præfatus Dominus meus Episcopus, cum eodem Domino Palatino

tino reposuit, absque scitu, requisitione, & expressa, liberáque voluntate, & consensu ejusdem Palatini, ad requisitionem & propriam commissionem, dicti Domini mei Episcopi, vel in casu jam expresso, prefati Germani sui nunquam removebo, aut aliò asportabo, vel cuipiam viventi in mundo assignabo, nec manus meas apponam, vel meorum apponi faciam, aut quidquid aliud de ea, quavis viâ excogitatâ, attentabo, vel attentari faciam. Item: quòd prefatum Dominum meum Episcopum, vel dictum suum Germanum, nunquam cum tot hominibus intromittam, quot me & Castellano ejusdem D. Palatini, socio scilicet meo, hominibúsque nostris, fortior sive potentior esse posset: & neque in numero plures gentes, ejusdem Domini mei, & Germani sui, ad Castrum, intromittam vel acceptabo, quàm quod est per eundem, & ipsum D. Palatinum jam ordinatum, vel quot socius meus Castellanus scilicet ejusdem D. Palatini, pro tempore habebit. Si tamen contingeret, quòd aliquis Potentûm Castrum ipsum obsideret, in tali casu gentes ejusdem D. Palatini, sicuti & D. Episcopi in pari, tum, & in æquali numero, cum socio meo, pro tempore constituto, pro Castri defensione, intromittere tenebor. Generaliter verò,

verò, nihil tale, in negocio hujus Castri, & sacræ Coronæ faciam, quòd honorem ejusdem D. Palatini, vel etiam filij sui, aliquô pactô offenderet, aut ipsi displicentiam, vel damnum aut periculum, vel scandalum aliquod generare posset. Quæ omnia sub præmissa fide mea Christiana, & sub amissione honoris, ac perpetuæ infamiæ & perjurij, eidem D. Palatino, dicto Joanni ejus filio, fidelitatem inviolabiliter & inconcussè, iterum atque iterum juro & promitto observare. In cujus fidem, robur, & testimonium patentes literas meas, sigillô meô propriô, cum propriis armis nobilitatis meæ consignatas, eidem Domino Palatino, & consequenter ejus filio dedi & assignavi. Datum Budæ in festo Beati Demetrij Annô Domini 1493.

ULADISLAO ex mortali hac vita decedente, LUDOVICUS SECUNDUS Regnum excepit, qui vivo adhuc patre, in ipsis cunis Regij capitis insigne accepit. Regnante LUDOVICO *Corona* fuit apud manus EMERICI PERÉNI PALATINI, & post mortem ipsius apud PETRUM PERÉNI relicta fuisse traditur, qui eam cum Joanne ZAPOLYA, quem

Ludovicus II. in cunis Coronâ redimitur.

Potiùs Pro-Conservatorem.

* *Conservatorem Coronæ* fuisse antea retulimus, suæ fidei concreditam habuit.

Fatalis cladesMagnatum Hungarorum ad Mohacs.

POst infelicissimam verò ad MOHACS cladem, in qua ità peccatis ejus ævi exigentibus, flos Magnatum, Nobilitatísque, & robur militiæ Hungaricæ concidit, quum & Rex LUDOVICUS SECUNDUS, hoc bello occubuit: BUDA pannico terrore deserta fuit, quam SOLIMANNUM ingressum fuisse, inde *tribus ex aurichalco columnis ablatis* recessisse, præterea nec ullum crudelitatis vestigium impressisse, *Historiarum* monumenta recitant. Mirum sanè, quòd non modò in amœnissima, cui, ùt Author quidam asserit, nullus *Europæ* locus comparari potest, sed & amplissima *Urbe*, *& Arce Regum sede*, sumptuosis ædificiis, cultissima, ornatissimáque; SOLIMANNUS armorum præsidium nullum reliquerit, neque mœnia ejus, murósque, quod multi expugnatores urbium fecêre, *ne nimirum hostium essent receptacula*, diruerit, sicut ATHILA quoque (de aliis ùt nihil dicam) in GERMANIA, qui captâ ARGENTINA, mœnia illius dejecit, ut cunctis ad illam aditus pateret, unde *viâ Arx germanicè* STRASBURGUM adhuc hodie nominatur. Sed nondum fatum BUDÆ advenerat, à rabie ava-

Solimanni in sedem Regum Hungariæ clementia.

Athilæ in Argentina destruenda crudelitas.

avariſſimi & potentiſſimi hoſtis, ſervata divinitus, quia nimirum propitius DEUS hac paterna caſtigatione contentus, gentem noſtram cruenta illa funeſtáque clade, ad vitæ melioris ſtudium pellicere voluit. Pòſt verò non longa temporis intercapedine, dum *parcitas* hæc animadverſionis divinæ feros non correxiſſet mores, auctis peccatis, in immenſum excreviſſet Procerum ambitio, fide ſublata, contentionibus, rapinis, cædibus, atque bellis certatum eſſet, adeò; ut nulla *ſacræ Coronæ Religione habita*, in domeſtici belli ſocietatem, juratus etiam ac perpetuus *Chriſtiani* nominis hoſtis, evocaretur: *Ira DEI veluti crudelis medicus ægri intemperantis*, haud levioribus uſa remediis ad graviſſimam exarſit vindictam, *Budáque* cum optima Regni parte, proh dolor! amiſſa, & facta prædarum Chriſtianarum receptaculum. WISSEGRADI verò *Coronæ domicilij*, quæ fortuna infortunatiſſimo bello MOHACSIANO extiterit, altum eſt apud *Hiſtoricos* ſilentium. Indubium tamen eſt, *Coronam ſacram* vim & periculum Turcarum tunc evaſiſſe, *in præſidio ac tutela DEI, à quo nobis revelata & data eſt.* Sed poſtmodum non minùs mirè, quàm miſerè jactabatur. JOANNES ſiquidem ZAPOLYA

Origo veræ ruinæ Hungariæ, ſocietas belli miſeranda.

Coronæ velum divinitus datum.

Coronæ nova tragico-comœdia, Authore Joanne Zapolya.

Præfectus Transilvaniæ, cùm & potentiâ valeret, & virtute sua antea pestilentissimam *Cruciatorum* factionem in ordinem redigendo, favorem quorundam promeruisset, Regnum sibi deberi ratus, sollicitatis, ac in suam sententiam haud paucis *Proceribus* pertractis se Regem appellari obtinuit, & *Coronâ*, suæ, & PETRI PERÉNI fidei concreditâ, ex arce WISSEGRAD privata Authoritate, desumptâ, per manus PAULI ARCHI-EPISCOPI *Strigoniens.* redimitus est. Isthac præpropera Coronatione, quæ sæviissimorum bellorum origo & causa extitit, facilè judicare licet, parum tutam fuisse *Coronæ Majestatem.* Favebant namque *Regni Optimatum* plerique FERDINANDO ARCHIDUCI, qui sororem LUDOVICI REGIS ANNAM, in matrimonio habebat. BUDA ab illo *sede Regni*, sicut & ALBA-REGALI, *ubi Reges coronari consueverunt*, occupatâ, & *Joannis* exercitu fuso, fugatóque FERDINANDUS REX proclamatus, & in ALBA-REGALI *sacrâ Coronâ* insignitus est. Quam PETRUS PERÉNI ob quandam injuriam & offensionem à JOANNE desciscens, FERDINANDO assignârat. JOANNES verò *sacro Diademate* privatus, & Regnô excussus, profugus solum vertere, & in *Polonia*

Discordia Hungarica, bellúmque civile acerrimum ob ambitum Coronæ.

Ferdinandus Sacrâ Coronâ insignitus, fatô ad ipsum delatâ.

lonia latere debuit, & partim dolore, partim virium, ac rerum ſuarum deſperatione, nocentiſſimô conſiliô, ad hoſtis *Chriſtiani nominis* opem (horreſcit animus meminiſſe) confúgit. *Quid enim ambitio dominandíque libido non ſuadet? ut omnia recta & honeſta negligant, dummodò potentiam conſequantur.* Tyrannus qui ſub ſpe auxilij perbellam ſibi *Hungariæ* potiundi opportunitatem oblatam, animadverterat, eam gratanter arripuit, & JOANNEM in ſuam recepit clientelam. Non enim ignorabat, ſimili occaſione à majoribus ſuis, *Græciam*, *Bulgariam*, *Galitiam*, *Serviam* ſubjugatam. Quare magno exercitu in *Hungariam* educto, occupatáque BUDA eam clienti JOANNI tradidit poſſidendam, quin & *ſacram Coronam* reddidit. Iſtud agens, quod *Agazones ſolent; qui equos cicuraturi ferocibus caballis, frœnum initiò durius non admovent, neque calcaribus urgent, ſed levi cingunt, ac molli vinculô, ſenſim ipſos habituri ſeveriùs: ratus tum temporis Solimannus honeſtius primò circumvenire fraude honeſta, quàm vi aperta.* Quô verò pactô in barbari manus *Corona* pervenerit, & quibus fortunæ telis, tum objecta fuerit, unô, quod ajunt, verbô explicemus.

Solimanni uſitatum Turcarum ſtratagema in fallendis ſpecie clientelæ Hungaris.

Græciæ & Hungariæ par ab hoſte fortuna.

Ars Turcarum tractandi ſuos clientes.

POstquam SOLIMANNUS à JOANNE accitus, magno cum exercitu in *Hungariam* irruiſſet, PETRUS PERENI, qui jam FERDINANDI partes ſequebatur, cum tota familia, & Regia ſuppellectile ex arce SIKLOS, tutioris permanſionis, conſervationísque causâ, ad SAROS PATAK fugâ contendens, in via comprehenſus, unà cum *Corona* ad SOLIMANNUM deductus eſt.

Sacræ Coronæ Conſervator ab hoſtibus captus.

IN quàm magno *Corona* periculo fuerit, cuilibet cogitandum relinquo. Eodem enim tempore, quodam mirabili fato, *omnis Religio, ſalus, decúsque Hungarorum, in poteſtate Tyranni fuêre.* At verò ſævus Tyrannus, divinitus fortè excœcatus, nec Religione moveri, nec ſalutem æſtimare, nec decus curare viſus eſt. Ubi enim *Viennenſem* ſolviſſet obſidionem, JOANNE cum Proceribus accerſito, *Diadema* & reliqua *ornamenta Regia* ultrò ipſi reſignavit. Quis non miretur pium factum, ab impio Tyranno? Quis precor jam ambigere auſit, *ſacram Coronam, in tutela Præpotentis DEI eſſe?* Quin igitur hoc exemplo, noſtra opinione optima, magìs ac magìs confirmamur? quin adhuc confidimus? Nullam in eam quibusvis hoſtibus eſſe poteſtatem: *hac ſalva, triumphantéque, patrium*

Coronæ Religio, & fatum prodigioſiſſimum, inter ſe colluctantur.

Divinæ providentiæ argumentum in genuino ſuo opere, Corona.

Re-

Regnum fore incolume, modò perſtemus in illa priſca Religione Apoſtolica, communia amemus, promoveamúsque commoda, feramur in Turcas immortali odio, ſit domi pietas, fides, concordia, quantumvis vi hoſtili exerceamur, non frangemur tamen, cœlitus roborati, & ceu palma preſſa erecti, ex ipſis bellicis vulneribus ſervati, vitam virésque reſumemus.

Pia & facilis ad Hungaros monitio Authoris.

JOANNE fatis functo, & *Coronâ* capiti infantis filij ipſius* STEPHANI utcunque impoſitâ, GEORGIUS MONACHUS inter cæteros JOANNI & matri ipſius ISABELLÆ addictos, eminebat : qui BUDA à SOLIMANNO per fraudem & vim occupatâ, poſteaquam in *Tranſilvaniam* cum Regina ablegatus eſſet, ex arbitratu & voto ipſius rebus minimè ſuccedentibus, accenſus indignatione deficit à fide ISABELLÆ Reginæ, *Coronámque* Regni, in ſua manu atque poteſtate exiſtentem, indiciô amicæ ſuæ clientelæ *Viennam* transmittit. Quamvis nonnulli aliter ſentiant : quòd nimirum, Proceribus *Hungariæ* pacem atque concordiam urgentibus ipſa ISABELLA, *Diadema* Regiáque inſignia FERDINANDO Regi remiſerit. Utut res ſe habeat, DEO ità dirigente, ad FERDINANDUM *Coronam* redîiſſe, extra omne dubium eſt.

* Probabilius eſt, nunquam fuiſſe coronatum.

Ex Tranſilvania miſſa Viennam ad Ferdinandum.

Porrò

PORRÒ errante sic *Corona*, tantísque exagitatâ procellis, quæ facies Regni? quæ conditio? turbulentissimus profectò erat status, dum Primores invicem dissidebant, & plus quàm *Vatinianis* se prosequebantur odiis, mutuísque gladiis conficiebant. *Namque Civium furor, damna graviora, quàm portis immanis imminens hostis, afferre* solet. Et ùt *Livius* dicit: *Factiones civiles fuêre, pluribus populis magìs exitiô, quàm bella externa, quàm fames, morbive.*

Laborante & conflictante Hungaria bello civili, hostis triumphat.

IN hac igitur discordia nocentissima, quidam *Optimatum* ZAPOLIO, FERDINANDO alij adhærebant, ad motum fortunæ alij plerique movebantur. *Turcarum* colluvies illa barbarica, crudelissimáque sæpius evocata in *Hungariam, adeò hostiliter & crudeliter debacchata est,* ut nullis pene lachrymis, vastitates atque strages eorum temporum sufficienter deplorari possint.

Defensio Turcarum, causa cladium.

SEd ipse JOANNES, cum asseclis suis, quid ex amicitia simulata, suppetiísque barbarorum emolumenti accepit? Illud nimirum præcipuum, quòd defensores ipsius, fuerint patriæ dulcissimæ desolatores. Et tam hoc est verum, quàm quod verissimum: quòd *extremum sem-*

semper amicitiæ Turcarum sit, & fuerit oppressio, pernicies, & servitus certissima. Nihil dicam de infinita hominum infelici illa tempestate, in tetram & perpetuam servitutem abducta multitudine. Relinquam *obsidionem Viennensem.* De SZIGETHI *fortissimi propugnaculi* amissione nec quidquam dixero. Conjux JOANNIS cum nato unico, quæ se patrocinio SOLIMANNI muliebri impotentia commiserat, persuasa mirificis hostis blandimentis, *speciosissimáque patrocinii simulatione*, quam recepit gratiam? In TRANSILVANIAM est à SOLIMANNO relegata, BUDA, quam patri simulata humanitate tradiderat, ereptâ, Regnô expulsa, spoliata est. Quos igitur præterea fructus attulit impia illa, injusta, ac immoderata *Turcarum* societatis ac auxilij affectatio? Utinam nec nos ætate nostra similem propè experti fuissemus sortem! neque domesticis dissidiis atque tumultibus cursus felicitatis *Imperatoris* nostri impeditus fuisset! non modò multo sanguine, & labore expugnatum munitissimum STRIGONIUM; sed BUDAM (quam gemina obsidione Cæsar MATTHIAS magnis validísque copiis obsederat) PESTHO, ALBA-REGALI, & infra *Budam* plurimis præsidiis ex-

Inimicorum dona, non sunt dona.

Felicitas Imperij Matthiæ fatô malô interpolata.

Tyrannis Turcarum crevit, discordiâ Christianorum.

pugnatis, in potestate nostra haberemus. *Christianorum, mi Christe! simultates nunquam non promovent Turcarum utilitates: éstque discordia nostra ipsissimum furoris Turcarum, & nutrimentum, & potentiæ augmentum.* Equidem cum *duobus modis* soleant homines sententiam in melius mutare, vel propriis calamitatibus edocti, vel cladium alienarum exemplô admoniti: Opto ex animo, ut jam tandem malis nostris eruditi, vel deinceps reddamur cautiores. Sed vereor, ne *vetustissima* hæc *fabula*, *surdis*, quod ajunt, *narretur*. Adeò enim quorundam vindictæ cupiditas levi de causa concepta occupavit, ac inflammavit animos; ut perire cum illis quos oderunt, quàm servare patriam, cui nati sumus, cupiant; & malint contumaciam cum pernicie, quàm obsequium cum securitate. Quid autem ad naturam anguium, ac viperarum propius ac affinius; quàm isthæc impietas? Verùm positis querelis odiosis, institutum nostrum persequamur.

Duo repagula sapientiæ in eventu rerum.

Natura civium perditorum, & infidelium.

Maximilianus II. Coronatus.

SUperstite adhuc *Cæsare* FERDINANDO MAXIMILIANUS filius à Regnicolis in Regem adoptatus, cui *Coronam* pater ultrò lubénsque detulit. Eluctata enim ex clade civili, velut apud *Cives* suos parùm secura, tutelæ *Austria-*

ſtriacorum ac amori ſe concredidit : quando nimirum ſpretis noſtri generis, & ſanguinis Principibus, *quorum ſcelere quæſita potentia, diuturna eſſe non potuit :* partim Regiis hæredibus exhauſtis : novum *Auguſtæ domûs Auſtriacæ Imperium* acquiſivit, ubi velut extra turbas patriæ in pacato conſiſteret, ſalutem & gloriam ex propinquo loco promoveret.

Corona novô hoſpitiô Domûs Auſtriacæ excipitur, ac redit ad Imperij Romani ſocietatem.

MAXIMILIANUS verò filium ſuum RUDOLPHUM, patris ſecutus exemplum, Regem deſignavit, & conſentientibus Regni Ordinibus, eidem Regnum & *Diadema* publicè reſignavit. Non minùs laudabiliter certè, quàm ſapienter Principes fecerunt noſtri, qui non tam ſibi, quàm Patriæ noſtræ conſultum volentes, maturè dum adhuc in vivis eſſent, Regno providerunt, non ignari, *naturam mortalium, ùt eſſe avidam imperij ; ſic impatientem Regiæ dignitatis conſortij, novisque & magnis conatibus opportunos eſſe tranſitus rerum*, & quantum poſt fata Regum mali atque periculi, nisi maturè de ſucceſſore proſpectum ſit, conſequatur. Siquidem ſciſſis in orbitate, varias in factiones Proceribus, *Reſpublica*, veluti navis ſinè nauclero, ſeditionum fluctibus, non rarò jactari, vel etiam mergi ſolet, cujus do-

Rudolphus vivo patre coronatur.

Laudabiliſimos principum in ſucceſſoribus tempeſtivè dandis.

Quia præoccupantur plurima mala.

mestica obvia, & ea satis luctuosa sunt exempla. *Electio* verò Regum Hungariæ, omnium Ordinum consensu, quidem olim in campo RAKOS inter arma fieri solebat; ast perquam rara est, armatæ potissimùm multitudinis, concordia. Inde evénit frequentiùs, ut qui robore, viris, clientelísque potentior extitit, ejus ad nutum Reges creati sint, unde *libertas Electionis* interdum intercipiebatur; non sinè legum maximo præjudicio.

Augusta Domus Austriaca 70. annis conservavit Coronam.

IN RUDOLPHI verò IMPERATORIS & REGIS nostri manu ac potestate *Corona* fuit *usque ad annum 1608.* Nec sinè ingenti Divinæ providentiæ beneficio id contigisse quilibet æstimare potest; ut *sacra Corona* inter Penates *Augustissimorum Regum*, qui *Imperatoria* fulgebant dignitate, à *Septuaginta plusminus annis*, totóque illo tempore, quô & acerrimum cum *Turcis variante fortuna*, *victoriáque* bellum gessimus, & domesticis dissidiis motibúsque patriæ conflictati fuimus, Conservata fuerit; donec in tutelam gratissimæ pacis, cum insigni decore patriæ restitueretur. Demum postquam in *Viennensi* tractatu, nescio quo divino animorum instinctu, concluſum fuisset; ut *sacra Regni Corona*, in patriam reduceretur, & in

Divinus zelus pro Corona Hungarorum.

ea

ea reddenda *Cæsar Rudolphus* difficilior cogi, non peti videretur ; CÆSAR MATTHIAS Regni Hungarici tunc GUBERNATOR & *actorum Arbiter*, vocato ex *Hungaria*, *Austria*, atque *Moravia* exercitu, PRAGAM versùs movit, ac SACRUM hunc THESAURUM, maxima omnium HUNGARORUM congratulatione, quasi postliminiô reduxit. Qua de re infrà acturi paulò fusiùs. Nunc commodè videtur, *sacræ Coronæ* & cæterorum insigniorum Regalium brevissimam instituere *descriptionem*.

Expeditio Matthiæ Cæsaris pro Corona in Bohemiam felicissima.

EST itaque FORMA SACRÆ CORONÆ aurô solidô, artificio sculpturæ magìs cœlesti, quàm humanô, in orbem fusa : à cujus latiore circumferentia pariter *pinnæ florentes forma triangulari* similiori circumeminent, quatuor angulis rectis : absides se mutuò intersecantes, desinunt in *Crucem*. In ipsa verò circumferentia fronte recta, *Imago Salvatoris nostri Pomum* tenentis ; ex adverso *Divæ Matris Virginis* : & deinde sacerrimus *Apostolorum ordo*, *Regúmque*, *ac Imperatorum*, *Martyrúmque Christianorum*. Ut videre licet, *literis Græcis*, in cujuslibet imaginis, aureis vultibus, ac propriis trophæis per corpus totum, usque ad *crucem* summam mutuò consequuntur, interjectis

Descriptio Coronæ digna consideratione.

Pinnæ triangulares novem.

Imagines Salvatoris, Mariæ, Apostolorum, Imperatorum, Martyrum.

Gemmæ preciosæ.

cuilibet *sacræ Imagini* gemmis ac unionibus. Atque ùt hæc non planè ex vulgari habitu ac more; sic istud planè notabile: Ab aurium naturali parte utraque, gemmæ preciosiores candicantes dependent, *appendices* veluti *locò inaurium*, quæ ad levem sacri capitis motum, mutuâ quasi harmoniâ se commovent: ut aurem utramque *Divinæ* humanæque consecrando *Justitiæ*; omnia ad *Divini Nominis gloriam, famámque bonam, & existimationem Reges* referant. Aut etiam *Catenulæ* illæ *novem*, *novémque* in *frontali*, & *occipitali Coronæ* parte, *Pinnæ radiantes*, majusculis unionibus intra certa spatia, Regnorum novem; ac Provinciarum Regno Hungariæ incorporatarum, *Dalmatiæ* utpote *Croatiæ*, *Sclavoniæ*, *Serviæ*, *Bosniæ*, *Galliciæ*, *Lodomeriæ*, *Bulgariæ*, *Cumaniæ* potestatem & splendorem indicant. Neque enim frustra illud institutum esse censeo, quandoquidem in pinnis, gemmis, figuris, inaurium appendicibus, tam accuratè, adeóque diligenter, *numerus novenarius* observatus fuerit. In hoc enim cubus geminus, nempe bis quatuor, & triangulus, scilicet inter tria, quatuor item lineæ, singulis duobus punctis definitæ, continentur: sícque paris imparísque, & adeò totius numeri inte-

Appendices, ac inaures dependentes catenulæ novem.

Significatio novem Regnorum sub Corona.

Novenarius numerus Coronæ facer.

integritas & perfectio explicatur. Quibus ergo curæ cordíque est *Mysteria* investigare *numerorum* atque proportionum, & vel unionum, precioſorúmque lapidum, qui *Coronam ſacram* ornant, ſignificationem; intendant ingenij ſui nervos mihi quod videtur, citra præjudicium dicam. Divina perfecta eſſe debent, talis *Corona* hæc, hujusmodi Reges exigit, hi populos tales reddunt, sícque demum felix Regnum & perfectum, *durant verò perfecta, perficiente Deo.* Sed totum *Coronæ* decorem, cum ſacris imaginibus, intima ſua ſignificatione nihil aliud annuere cenſeo; quàm ut Rex coronatus, ad vigilantiam ipſe, adeóque omnis gens *Hungarorum*, quæ feliciſſimè *fidei Apoſtolicæ* initiata fuit, ad eandem penitus cognoſcendam, colendam, amandámque, imò armis propugnandam, quàm conſtantiſſimè admoneatur.

Symbolum pietatis, ac Religionis Apoſtolicæ colendæ, & amandæ.

DIcendum præterea jure optimo videtur de adjunctis etiam Coronæ Regalibus ornamentis; quæ quidem præterquam quòd ad Coronationis ſolennitatem neceſſariò requiruntur; Regem coronatum arcanis etiam documentis, ad Axioma Regium bene piéque ſuſtinendum admonent.

Adjuncta Coronæ Regalia inſtrumenta.

Pallium

Pallium aut trabea Divi Stephani uranei coloris.

Pallium enim sive *Regale Paludamentum* D. STEPHANI, non tam vetustate & censu, quàm Religione picturæ admirabile est; ex serico factum, uranei coloris, cui DEI *thronus* & *Apostoli* omnes, cum Divina Majestate parte una; parte altera *triumphus Christi* a *Cruce*, ex auro contexti, in palmatæ vestis speciem. Aut si quis exactiorem hujus trabeæ sacræ delineationem habere velit, sequentia peculiari studio inde desumpta, contempletur.

In dorso circumcirca, infra cingulum hæc habentur verba: Indictione 14. à Stephano Rege, & Reisla Regina, casula hæc operata & data Ecclesiæ sanctæ Mariæ, sitæ in Civitate Albensi.

Inter scapulas ad Imaginem Christi hæc extant:

Hostibus en Christus prostratis emicat altè.

In humero dextro ad Imaginem B. Virginis, hæc leguntur:

Emicat in cœlo sanctæ Genitricis Imago.

In humero sinistro ad Imaginem B. Joannis Evangelistæ:

Dat summo Regi famulatum concio Cœli.

In summitate supra fimbriam à tergo:

Sessio regnantem notat, & Christum dominantem.

Circa collum ex sinistra parte Crucifixi:

O ſpes certa ſalutis.

A dextra parte Crucifixi majuſculis :

R. R. E. T. O. B. UMBRA.

QUarum literarum *myſterium*, non nisì Authori ipſius, D. STEPHANO notum : quas divinando ſi quis velit interpretari, ſi quid ad rei veritatem facere videretur, ſic liceret :

Regina, Romanæ, Eccleſiæ, Totiúsque, Olympi, Beata, Virgo, Maria, Bellicoſi, Regni, Advocata. Vel verò ſecundùm circumſtantiam : *Rex Regum Eſt Triumphator Orbis Benedictus. Virgo Maria Beata Regina Angelorum.*

SI hæc de DEO aut Chriſto dicantur, conſtat optimè ſententia, & magìs propriè quàm ſi ad *Benedictum Pontificem* referamus. Si verò ad D. STEPHANUM ; verè illum *Benedictum* fuiſſe dicemus, qui fidei Chriſtianæ, non in HUNGARIA duntaxat, ſed ad SARMATAS uſque & GETAS propagator fuit. At quòd literis UMBRA, puncta non ſint appoſita ; dictionem proinde unam per ſe conſtituere videntur. Umbra, ſinè punctis, myſterio non caret.

Unde sensus erit: *Regni Cœlestis illius & Spiritualis, terrenum hoc, umbram esse.* Magistratus enim est summi DEI imago, & *umbra*, & in hoc sæculo *una lex Regibus* cum reliquis hominibus posita est, nempe: *Quòd pulvis & umbra sumus.* Aut quòd pictura hæc sacrarum Imaginum in sacra veste; *umbra tantùm sit rerum existentium.* Nihil profectò ex sacro hoc picturæ habitu ad naturam boni Regis veriùs; nihil ad Regiam dignitatem antiquiùs; quàm ut *Deum cujus imaginem gerit in terris*, agnoscat, & colat: sanctitatem, justitiam, cum Religione observet inviolatam: & *fide Christiana* propugnata, exoptatam de hostibus referat victoriam: præmia denique rei bene gestæ, non in terris, sed cœlis expectet.

Magistratus, imago, & umbra DEI est.

Externus habitus sacer, internum decus designat.

Sceptrum porrò, quod *Archi-Præsul Strigoniensis* Regi coronato traditurus, *Virgam veritatis & justitiæ* nuncupat; nonnihil à communibus Regum sceptris differens, brevius, summitate rotunda, simillimum clavæ rotundæ Hungaricæ: quo belli instrumento, præter morem aliarum gentium apprimè soli Duces Hungarorum delectantur: *pugnandum pro Lege, & pro Grege*, quoties necessitas urserit, admonet.

Sceptrum Hungaricum differt à forma usitata.

Pomum

POmum *aureum* aut *ſphæra cui Crux* inhæret, *arcanô rei ſacramentô* fortunæ volubilitatem denotat. Nimirum, ùt globus eſt verſatilis; ità & fortunam Regum haud eſſe firmam atque ſtabilem, verùm multis injuriarum atque periculorum telis obnoxiam; facillimè ſummum dignitatis illorum faſtigium, de uno, in alium devolvi; *amore* tamen *Chriſti*, qui orbem & ſphœram hujus mundi univerſam, ſacro ſuo ſanguine mercatus eſt; populo ſibi divinitus commiſſo, Regem cunctis poſtpoſitis periculis, atque adverſitatibus, imperare debere; judiciúmque & juſtitiam ità adminiſtrare; ut judicio ſupremi Judicis vivorum & mortuorum ſatisfacere poſſit. *Pomum aureum primus* excogitâſſe fertur CONRADUS IMPERATOR, & quidem quo *Cæſares* utuntur: (nam de noſtro contrarium conſtat) quod aperiri & claudi poteſt, in eóque terra incluſa habetur, argumentô: *Monarchas in maximo faſtigio dignitatis conſtitutos; humum, cinerémque, æquè ac cæteros mortales eſſe.*

Pomum aureum cujus rei ſacramentum?

Conradi Imperatoris aureum pomum concavum, in quo terra clauſa.

GLadius *porrò* DIVI STEPHANI, veteri forma in mucronem rectum deſinit: quem ille victis tot *fidei Chriſtianæ* hoſtibus, utendum futuris Regibus, in ſimili cauſa conſecra-

Gladius Divi Stephani, ſacratus defenſioni Regni.

secravit: quem etiam *more Hungarico* peculiari, Rex coronatus, sub dio in illustri tumuli conspectu, eques prono cursu conscendens, versùs quatuor mundi plagas vibrare solet, quacunque parte hostibus infestantibus, bellum hoc pacto interminatus: *imitatus Romanorum* (ùt ait *Bonfin.*) *exemplum, quô à columna campi Martij, in partem belli transferendi, Consul hastam jacere consueverat.*

Cur in Coronatione soleat à Rege vibrari ad M E. OR. (†) OC. SEP.

CHirothecæ denique & *Calceamentum* DIVI STEPHANI, quibus sinceritas morum, & innocentia Regis significatur.

Chirothecæ. Cothurni.

JAm verò, *locum custodiæ sacræ Coronæ* considéremus. Neque mirum videri debet, quòd veteres illi *Hungari*, florentissimo totius Regni statu *sacram Coronam*, BUDÆ, sede Regia, servatam noluerint, (exemplô Imperij ac aliorum Regnorum, quæ Coronas in potestate Regum non relinquunt, sed aut *Collegiis sacris* illas commendant, aut munitis ac secretis locis concredunt) siquidem quòd ab omnibus omnium pene gentium populis illa frequentaretur; & ùt fieri solet, in tanta hominum frequentia, & negotiorum, actionúmque varietate, rerúmque vicissitudine, plerumque diversas aleret factiones;

Buda Metropolis non est locus commodus pro Coronæ custodia.

nes ; graviáque experiretur pericula : existimabant ibi *sacrum Capitis Regij ornamentum*, in quo tantum est momentum , discrimine aliquo non cariturum. Proinde extra conspectum, consortiúmque hominum , in loco quieto, securo, ab ipsâ natura dato, munitissimo, excelsissimóque monte, & tanquam cœlesti domicilio WISSEGRADO reponebant. Et quidem ea cura, & sollicitudine; ut nec Custodibus *sacræ Coronæ* adyta, quoties liberet ingredi, nec aliis quibusvis , qui Religione *Diadematis sacri* ducti , domicilium ipsius vel à limine salutare cuperent ; permitterentur. At tandem maxima *Hungarorum* calamitate, & fati iniquitate , occupatâ ab hostibus *Hungariâ*, *locus* hic mutatus; ipsa etiam salus & gloria *Hungarorum* vacillare & mutari visa est. Nuper fuerat arx WISSEGRAD favente Numine auspiciis Inclyti CÆSARIS MATTHIÆ ab hostibus recuperata , & nobis restituta , ubi ipsa *adyta sacræ Coronæ*, magna cum veneratione ac lætitia, à *triumphante Imperatore* conspecta & lustrata, recenti tenemus memoria. *Faustissimo omine ac præludiô futuri eventûs ; hunc eundem fore* , qui *aliquando sacram Coronam*, *patriæ*, sicut jam *factum est*, *restitueret*. Quod

Wissegradum, locus celsissimus, in Hungaria Coronæ dicatus.

Mutatus, mutatâ Regni fortunâ : mutata gloria, salúsque.

Adyta Coronæ lustrata à triumphante Matthia C.

quidem castrum WISSEGRAD, *domicilium Coronæ*, si cum *Posonio*, ubi *sacra Corona* modò sedem figit, conferas; nihil ferè ad *sacræ Coronæ* commoditatem, præter loci celebritatem afferri potest.

SEd quantô triumphô, quáve gentis *Hungaricæ* gloriâ, immortali verò MATTHIÆ CÆSARIS fama, *sacra Corona*, *à Rudolpho Secundo* remissa; quo plausu ac lætitiâ tot gentium excepta, reductáque sit; satis explicari scriptô à me nequit. Facturi id fortè alij, quibus plus est ingenij & ocij. Lubet tamen hoc loco utriusque *Matthiæ Regis*, circa *sacræ Coronæ* recuperationem, contemplari & comparare fortunam.

Matthias Primus, Coronam armis, sanguine, preciô, recuperat.

MATTHIAS *Primus*, postquam acerrimum pro recuperanda *sacra Corona*, bellum cum IMPERATORE FRIDERICO *Tertio*, non sinè multa sanguinis effusione gessisset, illatis & acceptis damnis quam plurimis; non priùs tamen, quàm sexaginta millium aureorum preciô exolutô, eam obtinere potuit. Contrà MATTHIAS *Secundus*, quo nullus Secundior, *Hungariæ* tunc *Cæsaris* nomine GUBERNATOR, vigore constitutionum VIENNENSIUM,

Matthias Secundus, amore, virtute, felicitate.

SIUM, de *restituenda Corona* impulsus; armata manu, Duce exercitûs Hungarici *Comite* GEORGIO THURZO, *Bohemiam* ingressus, castra ad PRAGAM fixit, *Cæsarémque* graviter ursit. Qui tandem adactus, quasi fraterno istud deberet amori, & insignibus illius meritis; per CARDINALEM FRANCISC. DIETRICHSTEIN EPISCOPUM OLOMUCENSEM, (qui laudabilem in legibus concordiæ inter *Cæsarem* & *Archiducem* fratres sanciendis, præstitit operam) PROCERÉSQUE BOHEMOS; altero PRAGÆ lapide, eam resignavit, maximâ totius exercitûs Hungarici lætitiâ ac tripudiô. Atque sic sinè sanguine & cæde *Coronam* adeptus MATTHIAS, pulcherrima comitante militia, VIENNAM primò; deinde POSONIUM ad *felicem Coronationem, tanquam præclarissimum reductionis stipendium recipiendum, properavit.* Ipsa verò *sacra Corona, sacrô Conservatoriô* obsignatô, & auratô tegumentô superinductô, triumphali currui Regis imposita, assistentibus *Hungaris* plerisque, & velut Antesignanis in triumpho præcedentibus, milite prætoriano comitante, inter tubas & tympana, inter gaudentium voces, & gratulationum plausus, ex arce devecta, & in templo *Divi Martini* collocata

Comes Georgius, Dux Coronæ restitutæ.

Triumphus Coronæ redeuntis in conspectum Hungarorum.

die

Sacra Corona seipsam donat in præmium meritorum, Divo Matthiæ.

die S. Elisabethæ annô 1607. ô diem illum bis felicem! quô & *sacram Coronam*, longissimô exiliô reducem, ac triumphantem vidimus: & *Matthiæ Excellentissimi Principis*, pro tantis meritis ac laboribus, *Capiti Augustissimo*, unanimi voto, communibúsque omnium Ordinum suffragiis, & faustissimis acclamationibus, per manus ARCHI-EPISCOPI STRIGONIENSIS CARDINALIS FRANCISCI FORGÁCS imposuimus.

Gloria meritorum in Hungaria, Divi Matthiæ Cæsaris æterna.

VIvet profectò vigebítque, justis decorata præconiis à grata posteritate, MATTHIÆ *Cæsaris* virtus insignis, atque gloria. Quid enim hac re elogio dignius? quid jucundius? post ejus Coronationem in Regem Hungariæ; exterminatas ex dulcissima nostra Patria hostium technas; cessisse inquietorum contentiones, odia, simultates antiquatas: concidisse feroces atque superbos æmulorum animos: sanguinolenta dissipata consilia; sublata priorum temporum acerbitate, ac vastitate horrida; affulsisse nobis, quasi Cœlô demissam, exoptatam pacem & tranquillitatem: cum qua florent leges nostræ, atque illam juris dicundi potestatem, quæ bellico furore conticuerat; in usum revocatam ac restitutam: quo vel ipso nomine,

Imperium ipsius in Hungaria pacatum, & tranquillum.

meri-

meritò noſtra triumphat & exultat Hungaria. Felices nimirum Nos ac beatos! qui perfuncti tot calamitatibus; aurea hæc conſecuti ſumus tempora: optóque animitus; ut ſint perpetua, ſint ſtabilia: nec nobis hæc, ulla nova interturbet moleſtia, aut calamitas.

Ultimum æquè felix ac diuturnum.

CUi verò præter Inclytam *Cæſaris* felicitatem; hanc tantam bonorum copiam & contextum rerum proſperarum adſcribam, niſi *Angelicæ Coronæ?* Ad quam deîn veluti cumulus, & Coronis, acceſſit ſocietas individua, Regni ampliſſimi *Bohemicæ Coronæ:* atque Auguſta Cæſareæ dignitatis Majeſtas; quam utramque *ſacra Corona*, ſuis auſpiciis quaſi attraxit, & ſibi favorem, robúrque pene totius Chriſtiani orbis conjunxit, conciliavítque.

Corona auſpiciis ſuæ ſanctitatis, poſt ſe trahit Regna ac Imperia.

MOdus verò *Reſignationis ſacræ Coronæ, & reſtitutionis novi Duûmviratûs* SACRI *Diadematis* (ne hoc quoque lateat poſteritatem) hic fuit. Finita feliciter Coronatione MATTHIÆ SECUNDI, *Status & Ordines* inter reliquas COMITIORUM LEGES, communi conſenſu, DECRETO *de ſacro Duûmviratu Diadematis reſtituendo ſancitô; Regiam Majeſtatem* orârunt, ut hoc tam divinum &

Reſignatio facta 1608. à Matthia Cæſare.

immortale *reſtitutionis ſacræ* CORONÆ *Hungaris* reipſa præſtaret beneficium : illámque inpræſentiarum Regno reſignaret : ſimúlque *Regiæ Majeſtati quatuor* ex *Magnatibus* nominârunt, quorum ex numero Rex binos eligeret *Coronæ Aſſervatores.* Penſata verò ratione perſonarum, ſuæ Majeſtati, PETRO de RÉWA, COMITI de THUROCZ, & STEPHANO PALFFI de ERDEOD, COMITI POSONIEN. id curationis ac provinciæ, dare viſum eſt: ſtrictiſſimô exactô ab eis, in Procerum & Conſiliariorum frequentia, fidei & diligentiæ ſacramentô. Ubi autem *Corona* arculæ ferreæ ſerâ incluſa, ex conclavi Regio ſolenniter in turrim *Regij Caſtri Poſonienſ.* Primoribus Regni comitantibus deferretur ; eámque PRINCEPS CAROLUS à LIECHTENSTEIN, STEPHANUS ILLYÉSHÁZI tunc PALATINUS, & LEONARDUS HELFRID à MEGGAUU, Primarius REGIS CUBICULARIUS clauſam, CONSERVATORIBUS traderent ; ipſos ut arcam referarent, & theſaurum oſtenderent *Conſervatores* interpellârunt. Quô factô, *Coronam* ſublatam coram adſtantibus, alter *Conſervatorum* demonſtravit, ſemel, iterúmque percontando: legitimam, vetuſtiſſimámque illam *Coronam*

Petrus Révvaj, & Stephanus Pálffi ab Ordinibus Regni in Comitiis delecti, novi Duúmviri ſacri Diadematis.

Reſignatores præſentes ad Coronam.

ronam recognoscerent? Quibus affirmantibus, *Coronámque* singulari devotione exosculantibus; recondiderunt, reconditoriô obseratô, sigillísque certorum Procerum communitô. Quàm autem hoc munus *Conservatorum* curarum plenum sit, & sollicitudinis; quivis facilè vel ex *Coronæ* recensitis vicissitudinibus & periculis metiri; ex *juramento* quoque eorundem colligere potest. Cujus quidem hæc *norma est.*

Reconditorium sigillis Procerum munitum.

Difficilis & periculosa provincia, Custodia Coronæ.

FORMA SACRI JURIS-JURANDI, PRÆSTITI à SACRI DIADEMATIS MAGISTRATU DUUMVIRATUS:

D. Petro Réwai Comite Thurocensi.
D. Stephano Palffi Comite Posoniensi.

Quoniam sua Majestas Regia, atque omnes Status & Ordines Regni Hungariæ, in præsenti generali Diæta Posonienſ. congregati, sacram ejusdem Regni Hungariæ Coronam, simul cum omnibus, ejusdem Clenodiis, fidei & custodiæ meæ, concredere dignati sunt: Ideò juro per Deum vivum, quòd ego Sacræ Regiæ Majestati, ac dicto Regno Hungariæ fidelis & obediens ero, dictámque Sacram Regni Coronam, summa fide, diligenti cura, vigilantiâ,

Formula vetus juramenti Custodum Coronæ.

ac sollicitudine, custodiâ, asseruabo: sinè præscitu & voluntate suæ Regiæ Majestatis & Regni, neminem ad illam visendam & perscrutandam admittam; aut alieno illam tradam; atque quolibet anno certis temporibus frequenter huc Posonium me conferam, & locum conservationis dictæ Sacræ Coronæ, diligenter perscrutabor & inspiciam; ac ut salva semper & secura persistat, omni diligentia & fidelitate curabo: ac si quid suspicionis & hostile, in januis, seris, vel parietibus animadvertero; de eo confestim Sacram Majestatem suam Regiam, vel Palatinum edocebo. Item: si quem motum vel tumultum, in Regno hoc oriri contingeret; de illo quoque ad Majestatem suam Regiam, & dictum Palatinum subitò referam; & ad custodiam dictæ sacræ Coronæ, majus præsidium humiliter petam: ac in persona mea ad mortem, & vitæ meæ exitum, fideliter & constanter illi assistam; omnéque periculum pro posse meo, ab illa avertam; sic me DEUS adjuvet.

Coronis Coronæ adoptata.

NUnc sub finem, Coronidis vice, quâ *Coronâ* Reginæ Hungariæ coronentur; paucis insinuare operæ precium visum. *Historici*, saltem quos mihi legere contigit, quoties Reginarum *Hungariæ* Coronationes commemorant,

rant, nonnulli quidem, præsertim externi, *sacrâ Coronâ* Coronatas tradunt: alij sinè distinctione Coronarum; inaugurationem illarum describunt. Sed diversâ Coronâ Reginas coronari; tam ex vetustis Privilegiis, quàm legibus nostris, manifestum est. Ipsissimâ enim *sacrâ Coronâ*, caput duntaxat Regis redimiri solet, & sic demum plenarium adipiscitur Imperium. Reginæ verò, ab *Archi-Episcopo Strigonienſi*, dextro solummodò humero hæc Corona admovetur; nec vana de causa. Existimo enim hac insigni & Regiâ *Cæremoniâ*, *mysterium Creationis fœminæ, quæ dextro latere viri desumpta est, adumbrari: dextor latere* CHRISTI *ortam esse Ecclesiam:* aut certo & medio ordine ac limite, fœmineum Imperium collocari: Reginam nimirum; sociam in tolerando atque bajulando gravi difficilíque regiminis onere opitulaturam; tanquam sexum imbecilliorem decere *obsequii gloriam*. Quiddam simile est apud *Gallos in Lege Salica*, quâ fœminæ jure successionis hæreditariæ prohibentur; nec aliter, nisi vicario nomine legitimi Imperij honestantur. Peculiari proinde Corona, quam ipsa *Regina* in eum sibi comparare consuevit usum; ab *Episcopo Weſprimienſi*, cui ex veteri

Diversitas Scriptorum de Coronatione Reginæ.

Reginæ Capiti Corona non imponitur, sed tantùm humero dextro.

Jus Episcopi Wespimiens. Coronandæ Reginæ.

Privilegio id competit; coronatur, & solenni pompa sacratur. Hanc solennitatem *Franciscus Forgács Episcopus Varadiensis*, Cancellarius quondam Hungariæ, in sua historia tempore Coronationis MARIÆ, consortis MAXIMILIANI observatam, locuples testis est. Unicam MARIAM filiam LUDOVICI, ob præclara merita, gratissimámque memoriam pij, & nunquam satìs laudati Regis Patris sui, præter morem *sacrâ istâ Coronâ* redimitam & consecratam esse; extra omne dubium est; quæ proîn nec *Regina*, sed *Rex* nuncupatur, inscribitúrque. Recordor me in *historia* quadam *Hungarica*, cum præfatione *Justi Lipsij* edita, legisse; BEATRICEM conjugem Regis MATTHIÆ, à PALATINO fuisse Coronatam. Cujus Historici hæc sunt verba: *Comes* inquit *magnus interrogat Regem, an Diadema Regium velit Reginæ imponi? & cùm Rex annuisset, ille idem magnus Comes, & reliqui Magnates, in caput Reginæ Coronam imponunt.* Author etiam est FRANCISCUS FORGACS (ut obiter istud attingam) inter PALATINUM & ARCHI-EPISCOPUM STRIGONIENSEM tempore Coronationis MAXIMILIANI SECUNDI, fuisse ortam quæstionem, an *Archi-Episco-*

Mariæ Ludovici Primi filiæ, singulari lege Corona data tanquam Regi.

Palatinus & Proceres, Reginæ Coronam imponunt.

ſcopus, vel verò *Palatinus* Regem coronare debeat ? & cognitionem illius controverſiæ, Statibus Regni delatam ; quam tamen mors PALATINI THOMÆ NADASDI ſuſtulit. Sed quid juvat in controverſiam trahere, quod manifeſtiſſimum eſt ? & qui vel primis labris Hiſtorias, & Regni *Hungariæ* conſtitutiones deguſtaverunt, perſpicuè nôrunt; Reges gentis noſtræ Coronandi, ſacríſque Regalibus initiandi, ab initio ſemper munus *Archi-Præſulis Strigonienſis* fuiſſe, & nunc eſſe: Reginas verò *Diademate* inaugurare atque Coronare, *Weſprimienſi Præſuli*, *qui & Cancellarius Reginæ* eſſe conſuevit, ſingularis Privilegij prærogativâ, incumbere. Quemadmodum ſuo iſthoc munere, in feliciſſima *Reginæ ac Imperatricis Auguſtæ* ANNÆ, *Auguſtiſſimi Cæſaris noſtri* MATTHIÆ *Conſortis Coronatione*, *Reverendiſſimum* D. FRANCISCUM ERCELIUM, qui *Weſprimienſ.* hoc tempore gubernat Eccleſiam, perfunctum fuiſſe vidimus.

Privilegium Regis coronandi Archi-Epiſcopi inviolabile.

Reginæ Coronandæ Weſprimienſis Præſulis jus antiquum.

JAm ſupereſt, ut ad vos HUNGARI FORTISSIMI, cum quibus communis mihi eſt patria, convertam orationem. Veſtræ omnium felicititati abundantiſſimè hoc tempore ſatisfecit præpotens DEUS, dum *ſacram Coronam*,

Admonitio ad fortes Hungaros.

Ut felicitatem à Corona agnoscant.

nam, quam non tam injuriâ temporum, bellorúmque necessitate; quàm ignorantiâ tanti thesauri, ac inde ortâ injuriâ, negligentiáque alienis sedibus moram facere, patíque permisistis; auxiliô *Regis vestri, Cæsaris maximi, vestrorúmque subsidiô armorum, sinè sanguine*, restituit. Ideò ex amore & veneratione *sacræ Coronæ*, nec non ex officio meo, quô inpræsentiarum Regi, Regnóque sacramentô datô, sum obligatus; Vos rogo & obtestor, ut ante omnia pro *felici custodia & conservatione sacræ Coronæ*, intra nostra existentis pomœria DEUM exoretis & deprecemini: deinde unanimis votis, & consiliis provideatis, ut *hoc sydus sanctum, quod à sexcentis jam & paulò ultrà annis, cum Christianæ fidei luce exortum*; domi suæ, more Majorum, certum commodúmque habeat domicilium; patrios inter parietes nobis æternùm fulgeat; nec vel intestinis dissidiis obfuscetur, vel à quovis externo hoste, interceptis quasi radiis, tenebras incurrat: & quod præcipuum ac summum opto; ne usitata *Turcarum patrocinij adulatione*, quod servitutem omni morte potiorem trahit, vergat ad occasum: *Hujus enim societatis exitus; exitium est.* Denique, ut vel ex hac mea tenuissima *delineatione*,

Ut pro Corona DEUM orent.

Tres hostes Coronæ summoperè caveant.

tione, consideratis quibusvis commodis *sacræ Coronæ*, aut incommodis; quæ ad securam, felicem, & tranquillam *sacræ Coronæ cautelam, custodiam, & conservationem* requiruntur; unanimi cura, providentiâ & diligentiâ consulatis & procuretis.

De comoda ipsius Conservatione, & Custodia provideant.

TU verò CONDITOR, CONSERVATORQUE vastæ istius mundi machinæ potentissime, qui genti nostræ *sacram Coronam* dedisti, atque inter tot turbines fortunæ, & varia ludibria, inter hostium discrimina, ac machinationes, potenter hactenus, cum reliqua Regia suppellectili servâsti: ardens suppléxque Te invoco, deinceps etiam propitius protege, tutam, salvam, florentémque inclinatis præsertim Hungariæ rebus conserva. Robur hostium contere, concede, ex imis pectoris penetralibus precor; ut BUDA, quæ *Regni caput* est, recuperatâ, in arcem WISSEGRAD *priscam suam sedem* redire, ac in suo domicilio collocata, perennare valeat. *DEUS Zabaoth, qui das salutem Regibus, Patriæ Patri, Cæsari pio, fortissimóque Regi nostro, MATTHIÆ SECUNDO*, secunda quæque & fortunata tribue: longitudine dierum reple; *floreat in diebus ejus justus, ùt palma: videat optata oculus*

Oratio pro Corona, Rege, & Regno.

lus ejus in inimicis ipsius. Proceribus quoque nostris perpetuam quæso concordiam, universóque populo tuo pacis & tranquillitatis abundantiam largire : amove procul dissidia, contentiones : aufer odia, livores : & faxis ; ut exactô vitæ istius fugacis curriculô, bravium militiæ nostræ, pro Nominis tui gloria, immensis laboribus molestiis atque nostri sanguinis profusione exantlatæ ; sanctissimam illam ac immarcescibilem consequamur vitæ æternæ CORONAM.

Hactenus Comitis Thurocensis penna Illustrissima.

Matthias pro Fratruele Ferdinando laborat.

MATTHIAS, decimô regiminis sui annô, cùm ætate, morbísque gravaretur ; nec spes affulgeret hæredis, FERDINANDUM jam Bohemiæ Regem Hungaris quoque proposuit, multísque commendavit ; imitatus exemplum Avi FERDINANDI I. Patrísque MAXIMILIANI: qui pro suo in Rempub. studio, quò civilia averterent dissidia, pro successoribus suis, adhuc dum in vivis agerent, diu ac multum elaborârunt. Re ad Comitia delata, acriter partem in utramque disceptatum est. Sedatis demum animis, itum in sententiam MATTHIÆ, & REGI FERDINANDO II.

FER-

FERDINANDI I. per CAROLUM nepoti, acclamatum.

SAcrâ incinctus Coronâ est *Posonij* Annô milles. sexcent. decimô octavô. Kal. Julij die Dominico, omine multis ea ætate non fausto: nam & ante Coronationem icta fulmine turris est, in qua grande illud depositum, Diadema Hungariæ, asservatur; & sub ipsa Inauguratione, dum gladiô S. Stephani Rex novus armatur, zona ensis rumpitur; &, dum Corona capiti imponitur, una ex pendentibus novem aureis catenis abstrahitur. Ferunt, *Sopronij* quoque ternos eo die spectatos fuisse soles. Hæc, ùt fit, apud populum omnia in omen trahentem, nuncij erant, augurésque haud satìs læti regiminis. Inde metus, & sollicita futurorum expectatio. Sed enim si quid ea præsagij habuêre, gaudij erant, non mœroris: nam etsi plurimis, iísque gravissimis jactata sit procellis sub hoc Rege Corona Apostolica, eluctata tamen de malis omnibus felicissimè, eluxit splendidiùs, DEO ipso pro Ferdinando depugnante.

Coronatur Ferd. II. omine populis infausto.

Imò fausto.

FERDINANDUS itaque, elato MATTHIA, Regnum init Annô millesimo sexcent. decimônonô, mense à sua Inaugaratione octavo. Optimo Regi nè primô quidem annô licuit esse pacifico:

cifico : nam GABRIEL BETHLEHEMUS Princeps Dacus, universam mense Augusto commovet Provinciam, & torrentis in morem in Hungariam effundit. Causa belli : Ibat suppetias perduelli Bohemo ; & quò scelera secura faceret sui ; nihil tale meritos evastare constituit Hungaros : *Quasiverò aut utile fuerit, aut honestum, perdere innocentem, ut consulas nocenti.* Et celeriùs opinione pervasit Hungariam BETHLEHEMUS, ádque ipsa Posonij mœnia constitit : militem, qui modicus aderat, fudit ; Urbem, Arcémque cepit ; CORONAM denique REGIAM secum abstulit. Atque istud, si quod unquam, luctuosissimum fuit Diadematis sacerrimi fatum ; cùm nihil propiùs factum sit, quàm ut *Hæretico homini* imponeretur, & magnum illud tot sanctorum Capitum honestamentum, à profano vertice contaminaretur. Et jam dies Comitiis dictus erat *Neosolij :* * convenêre ex omni Ordine frequentissimi ; Hæterodoxi ultrò, & sponte sua ; Orthodoxi vi, metu, dolô, blanditiis inducti ; aderant Legati Turcici, & Bohemici, junctarúmque fœdere Provinciarum Austriæ, Moraviæ, Silesiæ, Transilvaniæ ; quid multa ? communibus omnium suffragiis, REX HUNGARIÆ

S. Coronæ periculum maximum.

* An. 1620. mense Junio.

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

GARIÆ BETHLEHEMUS eligitur, proclamatur. Una reſtabat Coronationis ſolennitas; hæc ut quantocyùs perageretur, urgere Principem vehementiùs Legati, ſuadere amici, petere & obſecrare Hæterodoxi. Et Corona quidem in poteſtate GABRIELIS erat; verſabatur ad hæc ante oculos recens Bohemorum exemplum FRIDERICUM PALATINUM Diademate incingentium; denique nova dignitas titillabat Dacum, & ſplendor tantus mirum quantum invitabat. Sed eripuit DEUS Bethlehemum Bethlehemo; neu tale aliquid auderet, metus ac RELIGIO SACRÆ CORONÆ interceſſit. Et ſanè prodigij inſtar habitum: hominem cæterà gloriæ cupidiſſimum, cùm ad manum, votúmq; omnia, ac præſtò haberet, eâ tamen abſtinentiâ fuiſſe; Inſignia ut Regia geſtare nollet. Narrant: cùm id temporis in Conſeſſu Magnatum & PETRUS ALVINCZIUS Aulæ Principis Miniſtellus Calviniſta ſemel adeſſet, ſermóque de Coronatione incideret; aggredi non dubitâſſe Principem, magnísque clamoribus, multísque argumentis onerâſſe, quò tandem aſſentiretur, ſinerétque ſeſe inaugurari. At tu, inquit BETHLEHEMUS: ſinè cerebro es mi Petre. Cedò, ecquis tandem his me ſacris initiabit? continuò

DEI Providentia in Coronam.

Alvinczij temeritatem retundit Bethlehemus.

ALVINCZIUS : en me è nutu tuo. Quidquid jusseris, sacrum, sanctum habebo. Risit Princeps, & tu, ait: non es Archi-Episcopus Strigonienſis, cujus muneris est Reges Hungariæ consecrare. Ad hæc ALVINCZIUS: jube me ô Rex Archi-Episcopum esse, & Coronabo te. Sapienter hìc reponit Princeps & modestè : istud enimverò Coronatorum Regum est, quorum ego nondum numerum auxi. Retia isthic incurrisse se ALVINCZIUS sensit ; & siluit. Atque omnino haud imprudenter castigavit temeritatem hominis leviſtimi BETHLEHEMUS, monuítque : nè sutor ultra crepidam saperet. *Plerumque enim istiuscemodi consultorum grex, suis, non Principum commodis studet ; parúmque pensi futura ducit, modò gaudeat præsentibus. At quibus sanior mens, publica privatis ante-habent ; arridenti haud nimirum credunt fortunæ ; nec, quæ præcipitant, sed quæ firmant, consulunt.*

S. Corona revertit 1622.

Fusus interea fugatúsque est FRIDERICUS PALATINUS, redactus etiam in ordinem Bohemus ; unde lux BETHLEHEMO, & pacis consilia. Tum reddita Sacra Corona, & *Trenſiniô* allata. Ibant seu Comites, seu Custodes, equites mille, mille pedites ; multitudo Procerum

cerum ingens præterea. Diceres: post tot peregrinationes, & pericula feliciter superata, victis demum hostibus, triumphum egisse. Scilicet: *Curæ est DEO munus suum; nec tam ut perdat, quàm ut glorioſius reddat, sæpe sinit periclitari.* Et sanè haud scio, an unquam per sexcentos & ampliùs annos tantum gloriæ Diademati accesserit Hungarico, quantum hoc tempore; quô palàm orbi fecit: Cæleste se esse, & singulari sub tutela DEI; quo protegente, inermis & captiva flecti non potuit: *Hæretico ut profanaretur capite.*

Honor Coronæ habitus.

Jam quanta omnium Ordinum gratulatione *Sopronij* accepta sit, vix est, qui dicat: effunditur in occursum Civitas universa, Cæsareus deinde Regiúsque miles, ac togata tandem Comitiorum series; plura de mœnibus reboant tormenta, tubæ sonant & tympana. FERDINANDUS ipse præsens, sacrum pignus veneratus est, & veluti de exilio triumphanti reduci applausit. *Quis neget, majus aliquid humano inesse illi, quod in sui reverentiam tantos cogit.* Demum finitis Comitiis, peractáque ELEONORÆ Coronatione, non absimili pompa exceptum *Posonij* DIADEMA est, priorémque in locum repositum.

Atque

Atque hinc intelligere est, quantis sub FERDINANDO II. jactatum sit procellis Regnum Hungariæ; quot rerum conversiones tulerit sacra CORONA. Semel, iterum, ac tertiò Civilibus BETHLEHEMICI belli incendiis arsêre Provinciæ; evastatæ etiam per TURCAM sunt, & BOHEMORUM armis multum afflictæ. Stetit tamen Hungaria, FERDINANDI Regis pietate, Card. PAZMANNI prudentiâ, NICOLAI ESTERHAZII bellica virtute: bella namque alia pace composuêre, vi alia retudêre, alia sub cinere glisscentia exstinxêre. Atque hi illi immortales viri sunt, quos in hæc calamitosissima Reipub. tempora reservavit DEUS: per quos & Religio Catholica omnibus hæreticorum factionibus superior evaderet, & communis Regni salus conjuratis adversariorum telis impetita, sarta conservaretur & tecta. Scilicet: *Geminis Regnorum incolumitas nititur cardinibus; pietate Regnantium, Ministrorum fidelitate: Illa firmat Imperium, hæc tuetur: juncta simul, invictum reddunt, & perenne.*

Ferd. III. Coronatur 1625.

FERDINANDUS III. petente Patre FERDINANDO II. agente Pazmanno potissimùm & Esterhazio jam Pro-Rege, CORONAM accipit SOPRONII ipsis solenniis Virginis

nis sinè labe Conceptæ. *Mariana nempe luce Rex Marianus.* Omine sanè felicissimo: nam quoad vixit, obstitit hæreticis; & vires intendit omnes, Regnum ut universum efficeret Catholicum, atque adeò, sincerè MARIANUM. Sed occurrit piis conatibus *Georgius Rákóczius* de Transilvania, funesta illa acatholicorum armorum officina, & moras injecit: Adeò: *nihil tam sacrilegum, quod suo destituatur patrono; nihil tam pium, quod careat adversario.* Fecit tamen, quantum per iniquitatem temporum illorum potuit; conservavit, auxítque Romana Sacra, útque plura auderent posteri, exemplo fuit.

FERDINANDUM IV. Primogenitum suum, Majorum imitatus vestigia, Hungaris commendavit; quem & SACRA redimitum CORONA POSONIJ lætus aspexit; at septenniô pòst, ipse superstes, tumulavit mœstissimus; Felix & Infelix Pater! nè tamen viduam à fatis relinqueret Hungariam, in tempore providit, & alterum Natorum LEOPOLDUM substituit. Ferd. IV. Coronatur 1647.

LEOPOLDUS Posonij iterum, Rex salutatus est, & Apostolico ornatus DIADEMATE sacro DIVI LADISLAI Hungarorum Regis die; quem etiam deinde in profligandis Barbaris, Leopoldus Coronatur 1655.

propugnanda Hungaria, augenda DEI gloria, absoluta vitæ integritate, ad unguem expressit. Sub hoc primùm REGE respiravit CORONA SACRA, & BUDAM post centum ipsos ac quadraginta quinque annos, tandem sibi restitui gratulata est. Vidit etiam vindicata TURCICO de JUGO nonaginta admodum præsidia, vetus suum patrimonium; sopitas præterea *Tökölianas* faces, & enectas in semine immitium Civium machinationes; ornatas Urbes; literas florentes, aucta Sacra vidit, & tot nubila aliquando demum in sudum abiisse mirata est. Felicissimus Austriacorum Regum, & si Decessorum unus; hic enimverò de Hungaria optimè meritus; quam & moriens AUGUSTO suo JOSEPHO commendavit: in primis ut eam curis haberet, nihilque duceret potius salute Hungarorum. *Istud sanè paterno Regnantium affectui proprium est: etiam secundùm mortem, subditis prospectum velle suis.*

Josephus Coronatur 1687.

JOSEPHUS agente etiamnum in vivis Progenitore, CORONATUS POSONII est; & JURE quidem ad ejusdem NATOS TRANSITURO. Dedit istud Hungaria magnis LEOPOLDI MAGNI meritis, séque eligendi libertate spoliavit ejus gratiâ, cujus beneficiô ipsa; depul-

depulso Turca, veterem consecuta est libertatem, sed, quæ DEI humanis in rebus inscrutabilis est Providentia, hic primus Hungaricæ HÆREDITARIUS Coronæ REX, Regem reliquit Filium nullum. Turbatum insuper accepit Regnum, & tale deseruit, opinione celeriùs terræ illatus. Pacavit tamen Mater ELEONORA, Regina illa sanctissima, & pro altero Filiorum præparavit.

Carolus Coronatur 1712.

CAROLUS III. JOSEPHI Germanus, LEOPOLDI M. Filius, una, concordíque Statuum omnium ac Ordinum gratulatione Rex renunciatus est, ac CORONA HUNGARICA ornatus POSONIJ XXII. Maji. mill. septing. duodecimô: tantâ pompâ, tantóque splendore, quantum nec oculis unquam usurpâsse se exteri fassi sunt: nec FRANCOFURTUM (quemadmodum Confessione eorum habemus, qui utrique intererant solennitati) exhibuit, dum eundem Cæsarem inauguraret. Nec abs re totas in actum hunc NOBILITAS HUNGARA profudit gazas: Hispanum quippe Regem, & jam Romanorum Imperatorem CORONAVIT. Plures de REGIBUS HUNGARIÆ sunt, qui deinde etiam CÆSARES simul IMPERIO præfuêre; at qui *Augustum nostræ* submisisset

CAPUT CORONÆ; præter CAROLUM, habemus neminem. Atque hoc illud est illustre honestamentum, quod octavô demum sæculô consecuta est CORONA HUNGARICA, & cum illo felicitatem omnem: nam & Tömösvarinum cum Banatu, & Belgradum cum Servia, & magnum Valachiæ tractum recepit; parte Regni omni deturbatum, profligatúmque Turcam vidit; Transilvaniam jam inde ab infaustis illis Joannis Zápollij temporibus avulsam, suo rursum redditam Regi sensit; & compositas pace Provincias omnes gratulata est. Et omnino etiamnum plaudit in sinum suum, lætáque intuetur: statum HUNGARIÆ per CONSILIUM REGIUM renasci quodammodo, & novam auspicari vitam; per erecta recèns TRIBUNALIA florere Justitiam; ornari ad decorem Urbes; firmari ad prodigium Præsidia; Religionem ad cultum DEI ampliari; omnia denique in utilitatem, emolumentúmque publicum conspirare.

Porrò finita AUGUSTISSIMI FELICISSIMIQUE REGIS Inauguratione, reposita est CORONA SACRA, in Arcis Posonienſis TURRIM, pristinam scilicet habitationem suam: nam sub initium Rákoczianarum turbarum ablata,

lata, hactenus VIENNÆ asservabatur; ubi etiam securitatis gratiâ manserat, dum Tökölius olim per HUNGARIAM furebat.

Nec illud omittere visum est: Pridie ejus diei, quàm incingeretur Rex, edixit Patribus: *velle se & consentire, ut si Aug. Domui, quod absit, mascula proles non superfuerit, libera sit Regno electio Regis; nec obligatam fore Hungariam ad fœmineum Regimen amplectendum.* Posterioribus tamen annis ultrò & sponte, non rogati, detulêre illud HUNGARI Primogenitæ Augustissimi; hac saltem quantulacumque ratione, immortalia CAROLI REGIS in se beneficia soluturi; summísque in REMPUB. promeritis, quam unam poterant, gratiam habituri.

Sed enim surdum tot annis Cœlum, clamantem aliquando audiet HUNGARIAM, & CAROLUM nobis de CAROLO dabit; qui emeritum Patris senium recreabit; ac post sera ejusdem fata, & ipse Pater Patriæ, gloriam augebit CORONÆ HUNGARICÆ, & Rex optimus HUNGAROS amabit.

ARTICULI JURIS HUNGARICI
De Conservatione
S. CORONÆ.

Articulus 16. Anni 1608.

SAcra Regni Corona in Arce Posonienſi ; unà cum omnibus Clenodiis, in Regeſto comprehenſis, in præſentia certorum Procerum, & Regnicolarum, viſibiliter Dominis Conſervatoribus aſſignetur, & in repoſitorium, præſentibus ijſdem; Domini Palatini, trium Prælatorum, & totidem Baronum Sigillis obſigillata, imponatur. Utriúsque Conſervatorum in Arcis portas, munitiones, Milites, æqualis Authoritas, ſit & poteſtas ; denique ut tempore neceſſitatis, ſufficiens domeſticum præſidium, in eandem Arcem ordinario Militi ibidem exiſtenti, per Regem, & Regnicolas collocetur : & tam de Conſervatione, quàm Militum ſolutione proſpiciatur ; Concluſum eſt.

Articulus 4. Anni 1622.

MEminerunt Status, & Ordines, ingentibus annorum ſuperiorum motibus, Sacram Regni Coronam è conſueta deſtinatáque ſede ſua motam, non parùm peregrinationis confeciſſe. Cæterùm quia ea, ſedatis jam motibus, virtute Pacificationis Niklſpurgi, ſtabilitæ, in R. L. Civitate *Trencſinienſi* ad hoc uſque tempus repoſita extitit: ideò placuit ijſdem

Stati-

Statibus, & Ordinibus, eandem S. Regni Coronam unà cum omnibus Regiis Clenodiis eidem annexis, gratiâ perluſtrationis, & recognitionis in hanc Generalem Regni Diætam *Sopronium* adduci facere, ità ut ea viſa, & perluſtrata rurſus in Arce Poſonienſi ſolenniter reponatur; ejusdémque Cuſtodiæ prioribus 60. alij 40. pedites ſuperaddantur. Pari etiam numero juxta priorem conſuetudinem, Germani pedites, per ſuam Majeſtatem Cæſaream adhibeantur, qui à Conſervatoribus Coronæ, & Caſtellanis habeant dependentiam.

Artic. 26. An. 1625.

SAcræ Coronæ Cuſtodiæ 50. pedites Hungari, & alij 50. Germani adhibeantur. Qui quidem 50. Milites Germani quia hactenus aliunde dependere videbantur, Dignum eſt; ut deinceps à tali regimine abſolvantur, & non ab aliis quàm Conſervatoribus Coronæ, & Caſtellanis habeant dependentiam. In ſeverioríque diſciplina, quàm hucusque factum contineantur: atque ſuper damnis per ipſos illatis; Domini Conſervatores Coronæ, & Caſtellani, debitam ſatisfactionem ad partis læſæ inſtantiam impendere debeant, & teneantur.

Artic. 87. An. 1635.

DE Militibus ad Cuſtodiam Coronæ adhibitis concluſum eſt: ut Germani quidem Milites ibidem con-

constituti, juramentô; Regno, & Sacræ Coronæ adstringantur: & à Dominis Custodibus ejusdem Coronæ, & Castellanis Arcis Posonienſis, plenariè dependere debeant.

Artic. 45. An. 1655.

CUm intelligant Status, frequenter Neutrum Dominorum Conſervatorum Sacræ Regni Coronæ, penes eandem manere, ob hoc decernunt: ut amodò imposterum, ſi certis, & juſtis ex impedimentis, non uterque; Unus tamen eorundem, penes dictam Sacram Coronam continuò reſideat: ab iiſdémque, & Caſtellanis Arcis Poſonienſis, etiam in puniendo, Germani Milites ad Cuſtodiam Sacræ Coronæ adhibiti, omnimodam dependentiam habeant.

Artic. 38. An. 1715.

SAcram Regni Coronam cum ſuis Acceſſoriis, in Regno Hungariæ, loco legaliter deſtinato Poſonienſi aſſervandam, eámque non aliô, quàm ingruentis periculi, aut neceſſitatis caſu, cum præſcitu Domini Palatini abinde transferendam, annuente ſua Majeſtate decretum eſt. Et quia Officium Præſidis Cameræ Hungaricæ, nullam cum Officio Conſervatoratûs Sacræ Regni Coronæ habere videtur incompatibilitatem; hinc quatenus Præſides quoque Cameræ Hungaricæ, attamen Hungari, ad præfatum Conſervatoratûs Officium, prævia per Majeſtatem Regiam legali

legali candidatione per Status, & Ordines eligi possint: qui prævio modo eligendi, juramentum quidem coram sua Majestate Sacratissima, & Statibus Regni; ij verò, quos jure Administrationis idem Officium adipisci contigerit; more hactenus observato; deponere obligentur: Eorum verò in utroque casu installatio, juxta receptum continuum Usum, penes Regiam Cameram Hungaricam maneat, concluſum est.

Formula Juramenti.

EGo NN. Conservator Sacræ Regni Coronæ, prævia suæ Majestatis Sacratissimæ Candidatione, per Regnum rite electus: ac per suam Majestatem Sacratissimam Dominum Nostrum Clementissimum benignissimè confirmatus; Juro per DEUM VIVUM, ac per *Beatissimam DEI Genitricem Virginem Mariam;* & per *omnes Sanctos*, & *electos DEI:* quòd ego sacram Regni Hungariæ *CORONAM*, & reliqua *Clenodia Regia*, ac *Regni*, penes ipsam simul in Conservatorio existentia, pro posse meo, præsertim dum mea series fuerit, diligenter, ac fideliter custodiam, ac conservabo. Milites, ejusdem Coronæ custodes, ad diligentem, & fidelem custodiam commonebo, ac in bona ejusdem custodiendæ disciplina conservabo; Ipsamque Sacram CORONAM & *Clenodia Regia*, ac *Regni*, penes eandem habita, nulla arte, nullo dolo, vel fraude, nullisque viis, & mediis, à *Regno* &

Rege legitimè coronato abalienabo. Sic me DEUS adjuvet, *Beatißima Virgo Maria*, & *omnes Sancti.*

Diplomatis Regij An. 1712. §. ſecundus.

SAcram Regni CORONAM juxta veterem conſuetudinem ipſorum Regnicolarum, Legésque Patrias, per certas de eorum medio unanimiter ad hoc delectas, & deputatas Perſonas ſæculares, in hoc Regno conſervabimus.

BONA AD S. CORONAM IMMEDIATE SPECTANTIA.

Ulad. dec. 7. a. 3.

1. OCto Civitates Liberæ, videlicet: Buda, Peſt, Caſſovia, Poſonium, Tyrnavia, Bartfa, Eperjeſinum, Sopronium.
2. Vetus Buda, Strigonium, Alba-Regalis, Leutſchovia, Szakolcza, Cibinium, Szegedinum, ac omnes Cumani.
3. Arx Wiſſegrád cum duabus Inſulis, Chepel ſcilicet, & Ros appellatis: infra Wiſſegrád uſque Megyer adjacentibus.
4. Cremniczia, Schemniczia, Biſztriczia, Sólyom cum cæteris Civitatibus Montanis; cum Rivulo Dominarum; vulgò Nagy-Bánya.
5. Caſtrum Huſzt cum quinque Civitatibus, & fodinis ſalium.

6. Om-

6. Omnes Triceſimæ Regnorum Hungariæ, & Sclavoniæ; Et omnes Cameræ ſalium in ijs habitæ.
7. Caſtra Munkách, & Diósgyőr.
8. Saxones Regij in Tranſilvania.
9. Omnes Cameræ Salium in Tranſilvania, cum Civitate Kolosvarienſi, & loca earundem fodinarum.
10. Omnes Viceſimæ, & Centeſimæ, & Quinquageſimæ, in Tranſilvania exigi conſuetæ.
11. Caſtra Gorgenſe, Theth, & Déwa in eadem Tranſilvania.

SYLLABUS CONSERVATORUM SACRÆ CORONÆ HUNGARIÆ.

GEorgius de Palóch.
Dionyſius Széchi: *Card.* & *Archi-Epiſ. Strigonienſis.*
Ladislaus Gara.
Vincentius Szinmituler, ſive *Sciamatuleus.*
Blaſius Budenſis.
Urbanus *Epiſ. Agrienſis*; & Stephanus Báthori.
Stephanus Criſpus; *Epiſ. Sirmienſis*: & Andreas Báthori.
Stephanus Zápollya, & THOMAS BAKACS: *Epiſ. Agrienſis.*
Emericus Peréni: & Joannes Zápollya.
Alexius Thurzo.

THOMAS NADASDI.
Petrus de Révva, & Stephanus Pálffi.
Paulus Apponyi *defunctô Petrô de Révva.*
Joannes Pálffi: & Stephanus Dóczi.
Petrus Forgách de Ghymes: *Succeſſit defuncto Stephano Dóczi.*
Joannes Kéri, & Nicolaus Pſtroſith.
Paulus Pálffi.
Nicolaus Pálffi, & Stephanus Zichi *Senior.*
CHRISTOPHORUS ERDŐDI.
Stephanus Zichi *Junior.*
Nicolaus Pálffi *Junior.*
Nicolaus Pálffi *Senior*: nunc PALATINUS: & Adamus Kollonich.

His ſucceſſerunt:

THOMAS NADASDI, & GEORGIUS ERDŐDI.

VIVUNT. & VIVANT!



ELO-

ELOGIA SACRÆ CORONÆ

Quæ tempore Felicis Inaugurationis

CAROLO SEXTO CÆSARI
HISPANIÆ AC HVNGARIÆ REGI TERTIO
COLLEGIVM TIRNAVIENSE SOCIETATIS IESV EX VOTO SVO

D. D. D.

Elogium I.

CORONA HUNGARIÆ

Sacra in ortu, prodigiosa deinceps.

AUgustale Diadema non multas habet gemmas,
Sed præcipuas, ùt Corona Gnosia,
Ne copia gravet.
Tale est Hungaricum;
In quo
Unicus ferè saphirus lucet,
Colore cæruleus,
Cælestis originis index.

Cur ?
Crediderunt Majores noſtri Coronam hanc
E cælo ,
Opitulante Angelo ,
Sive natam , ſive delatam Hungaris.
An ideò ?
Ut quantò à concretione terrena purior,
Tantò Regnantes minùs oneraret,
Magìs illuſtraret :
An verò ?
Ut eſſet certiſſimum
Hungaricæ ſanctitatis auſpicium.
Ut ut eſt ,
E cælo Romam ad cæli Interpretem eamus.
Aderant in Urbe finitimarum gentium Oratores ;
Alter Polonorum , alter Hungarorum ;
Ille notus omnibus ,
Hic incognitus ;
Sed qui noctu per viſum , magìs quàm in luce
Debuerit innoteſcere Pontifici Max.
Uterque Legatus venerat Romam petitum Diadema ,
Polonus jam petiverat, Hungarus petiturus erat ;
Polono cudebatur, Hungaro datum eſt.
Divinô enim oraculô admonetur Romanum Oraculum ,
Ut poſtridie venturo ad ſe ,
Ignotæ , & obſcuræ ,

Sed

Sed ad lucem fidei acceſſuræ gentis
Legato
Reddatur Diadema,
Cum Cruce gemina Regi Apoſtolo præferenda.

Aſtricus ab aſtris nomen trahens,
Orator Hungarorum,
Cùm cæleſtia dona detuliſſet in Pannoniam;
Veluti cælô demiſſa Ancilia adorârunt Hungari,
Aut, non ùt in Vulcania quadam,
Sed in ipſa Eccleſiæ Petra
Cuſa exceperunt;
Quibus tamen indomiti animi miteſcerent.

Nam confeſtim
Jura, ac Forum utrumque acceperunt;
MARTEM,
Etſi ijſdem educati in cunabulis,
E parma deleverunt, ſuffecerunt
M A R I A M.

Cælites non civitate, ſed Regno donati,
Aræ, & Aſylum conſtitutum,
Vidiſſes candidiſſimos in ſcythico hoſpite mores.

Domi pacem coluerunt,
Foris arma juſta vel inviti ſuſceperunt.

In victoria modeſti,
Fœderum tenaciſſimi,
In privatis ædibus religioſi,

In

In templis ſancti,
In foro æquiſſimi.
Cultus corporis ex innocentia gentis temperatus.
Clerus lectiſſimus,
Pontifices integerrimi.
Quidquid è Republica Chriſtiana viſum
Pertinaciſſimè defenſum.
Hunc de veteri vocabulo Adamantem retinuit.
Adora Providentiæ oculum
ô Hungaria!
Divinum Tibi flagellum à principio datum
In Attila;
Ut defluentem moribus Europam, ipſámque Italiam
Crudeliter inundares:
Tuæ dein dexteræ propugnaculum Eccleſiæ creditum,
Ut in Catholici limitibus Imperij conſtituta,
Excubares in Atrio Palatij Eccleſiæ,
Tuísque periculis gladium à Chriſtianorum cervice
Averteres:
Utque ab eadem Haſta;
A qua vulnus in Tuis antiquiſſimis Regibus,
Hodie in Te opem acciperet, & præſidium.
Quod uti prævideratD. Stephanus, Rex Apoſtolicus,
Ita omnia è Republica Catholica geſſit;
Regnum non minùs armis, quàm pietate munivit.
Quam Angelico munere acceperat Coronam,
Ejus hæredem Angelorum Reginam
Jure nominavit.

Pri-

Primus dedicavit MARIANA quasi Quinquatria:
MARIÆ *solum*, *solium*, *populum*, *prælia*,
Se, suaque æternùm
D. D. D.

Transacta donatio conditionibus Attalicis,
In hanc ferè sententiam:
Ut Augustissima Cæli acceptam in præsidium gentem,
Protegeret ut suam;
Istius verò essent collocati,
Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ.
Ut Augusti nominis metus esset infirmis robur,
Ac veluti pupillis Civibus tutor.
Nec abnuisse Virginem donationi subscribere.

Non ignaram,
Populo è glaciali Arcto venienti
Necessarium esse, *Marianis* temperari flammis.
Quibus equidem flammis ità temperata sunt
Nobis cum prosperis adversa,
Ut illa non efferrent animos,
Ista non submitterent;
Utraque gentem domi forisque
Clarissimam victoriis,
Integerrimam moribus,
Sanctissimam institutis efficerent.

Hìc cœpit
Accessione Coronarum Imperium extendi,
Dum intenderetur domi Religio;

Ut mallet quisque Coronæ Hungaricæ ſervire
Quàm imperare alienæ.
Ità nimirum: (ducitur.
Coronarum circumferentia è Religionis centro rectè
Quæ, quia tot nominibus Sacra, ac penè Divina,
Quàm fuerit curæ Cœleſtibus,
(Chariſſima namque ſinè timore non poſſidentur)
Docebunt te, cogitantem Romuli Ancile Sacrum,
Et Divinam Palladij tutelam.
Hæc, quia non Corona Gnoſia,
Multò ampliùs angebat Hungarorum animos,
Ne olim amiſſo Diademate
Solverentur tot vincula.
Pro hac erepta, non unâ poſtea hoſtiâ litatum,
Ut pro Tyndaride.
In prodigiis eſto.
Otto Bavarus, fertur, cùm Daciam inviſeret
Homo albæ mentis
Margaritam hanc tornatili lagenâ non cælâſſe,
Sed ut obſcuriùs lateret, celâſſe.
At Majeſtas Sacri Diadematis major fuit,
Quàm ut Ottoniana caperet anguſtia.
Idcirco cùm imprudenti, de jumento, quô vehebatur,
Maluit jacére viâ publicâ (excidiſſet,
Decus publicum.
Sed en miraculum!
Cùm tot oculis expoſita proſtaret,

Tot

Tot oculis prætereuntium evanuit in Dacia,
Cui tot corda vigilârunt in Hungaria.
Ceſſit jactura tantæ rei infeliciter Bavaro,
Nam exemplo Tarquinij, brevi rude donatus
Amiſsâ Coronâ didicit,
Reges è Cælo dari Regnis,
Ambitionem hiantem deludi.
Quare
Cùm Divinæ connubium Atalantæ fraudi non pateret,
Non unum excivit æmulum,
Qui apertô campô virtute certaret.
Junxit Pelion Oſſæ
Gabriel *Betlehemus:*
Hic ferrô, & acetô domitis alpibus,
Flammas latè ſparſurus, Salmoneus alter
Cœleſtes currus, & non imitabile fulmen
cogitavit.
Poſoniô obſeſsô, Urbem cepit & Coronam,
Quam cùm vi omni conaretur imponere capiti,
Sapiens Diadema renitebatur,
Quòd labem à capite metueret.
Taceo *Amurathes*, & *Solimannos* Sanguinarios:
Quibus familiaris Neronianus Smaragdus,
Sub cujus pulcherrimo virore incendia Hungariæ
Præſentabant.
Illud unum in prodigiis Coronæ Sacræ accipe:
Tot inter illuſtres ruinas, ac Spolia Patriæ

Solam hanc reliquam esse,
Et in una omnia.
Seu quòd ita Divorum memoria Regum exigebat,
Sive successorum Sanctitas,
Illam tot cladibus superstitem intueri.
Præcesserant jam in æterna illa mente merita Tua,
CAROLE AUGUSTE,
Decus & delicium Orbis Tui utriusque!
Cujus fidei, ac dexteræ committeret DEUS habenas Imperij,
Et Sacrum Coronæ Cœlô demissæ pondus,
Nulli feliciùs sustinendum,
Quàm qui & à Sanctis genitus esset,
Factúsque naturâ ad Clementiam,
Educatione ad modestiam,
Innocentiâ ad amandum.
Pollicebamur in Te nobis Cœlestissimæ indolis Principem,
Cùm eodem tempore fame depulsa,
Peste fugata,
Serenitate restituta,
Ipsamet Elementa
Induerent adventu tuo innocentiam.

Elo-

Elogium II.

INCRUENTA VICTRIX.

In facto Emerici Regis, & Andreæ Ducis, ejus Fratris.

EMericus, sive Henricus, non tam regnabat,
Aut dominabatur ùt Rex,
Quàm præerat suis in Pannonia
ùt Pater.
Neque quod sibi utile, justum aliis;
Neque quod luberet, id etiam sibi licere,
Putabat.
Rex tamen reipsa erat, quando cupiditati suæ
Non serviebat.
Habebat & Magnatum amorem, ob magnitudinem
munerum,
Et plebis ob candorem morum.
Non evasit tamen studia partium, qui sic studebat suis,
Et unde tempestatem timebat minimè,
Naufragiô propemodum periît.
Andreas nimirum, Frater ejus junior,
Sed ad res novas maturior,
Virtutem Germani vitium ratus,
Clementiam ignaviam; Oestrô correptus,
Henrico ostrum eripere
Volebat.

Vixdum pileo Ducali idoneus, ad Coronam aſpirabat;
Primùm clanculum, deinde palàm:
Nìl tale verentem, cautum tamen
Regem aggreditur, nihil utraque arte
Profecturus.
Dolos expedit præambulones, ſed quibus nihil
Progrederetur.
Invitat Regem ad epulas, Rex jejunium præeligit
Vel in Saturnalibus; olfecit nempe malum
Nidorem ciborum ejus.
Arbitrabatur ſupra Lances pendere lanceas,
A ſcutellis haud procul latere ſcuta.
Mittit rurſus Dux verba dulcia, Rex dulciora
Remittit;
Sed hujus erant verè dulcia, illius verè amara.
Conſpectum alter alterius vitabat;
Uterque cauſam fugæ ſciebat,
Neuter, ùt fieri amat, ſciri
Volebat.
Sic ars deluditur arte.
Hic ſua conſilia obſcura putabat, illi luce clariora
erant.
Diſcite mortales, magìs quàm Argos, oculatos eſſe
Reges,
Nec decipi poſſe, pro quibus vigilat,
Qui nec falli, nec fallere poteſt
DEUS!

Uter-

Uterque insuper illorum metuebat, neuter metum ostendebat;
Uterque officiosus, uterque callidus.
Sed Rex, alioqui syncerus, non nisi coactus; Dux malè persuasus.
Abessent utinam ex aula Adulantes,
Non tam *blandè* quandoque *perirent Reges*.
O crudeles GRATIÆ,
Infestæ CHARITES in aulis diversis!
In illum modum certabant illi mutuis favoribus, mutuis odiis.
Certamen istud ficut fuit pulchrum ad speciem,
Ità reapse turpe; turpius, quòd inter Sanguinem,
Turpissimum, quòd inter Germanos.
Proh fœda Regnandi libido! Tu maculas solia,
Tu fraterno cruore tingis interdum purpuras.
Non unus Attila peremit consortem Regni Budam,
Sed plures *Attilæ*, plures *Budæ* fuerunt;
Illi perimentes, isti perempti,
Non re quidem sæpe, sed animô.
Postquam velata Andreæ vafrities, larvam suam detectam comperit,
Et ipsa se detexit.
Malus fomes exarsit in pessimos ignes,
Odium in iras.
Proprium id est ambitioni omni, quæ alta petit, dum ruat;

Abscon-

Abſcondere primùm conſilia, poſtmo dum patefacere,
Quando ſcilicet aliunde paterent ;
Aut
Tunc celare, quando minimè poſſunt.
Sed error ſolet eſſe ſimilium in latibulis,
Infelicitas in propatulo.
Educit ergo Andreasſigna, coram Inſigni Regni non ſubſtitura ;
Parantur enſes fulminei, nulli nocituri,
Nec auras læſuri ;
Nam Coronæ radiis, non aquis, ſopiendi.
Rex pauciores, Dux plures numerat milites.
Ità *multitudo favere ſuevit ſeditioni !*
Stant igitur, hinc & inde, ſub pellibus Tigridum ferociores animi,
Sub altis plumis Spiritus altiores,
Et indociles, niſi adacti
Demittere criſtas.
Graves chalybe, graves aurô ;
Sed aurum obſcurabitur,
Chalybs hebetabitur.
Expediuntur nihilo ſeciùs enſes, quos furor magìs (exacuerat,
Quàm cos ;
Et ſagittæ, non venenô, ſed irâ imbutæ,
Exitium minantur.
In certamen animat ſuos Andreas omnes,
Emericus nullum præter ſeipſum,

Satis

Satìs fore arbitratus ſe probè animato,
Exanimandos hoſtes protinus.
Nec militibus, nec Athletis ſimilis,
Novum pugnandi genus Rex adínvenit,
Dum cogitationem de pugna deponit,
Vincere tamen proponit.
Non ſagatus, nec togatus, ſed paludatus repentè ap-
Quaſi Regem ſolum acturus in Regia, (paret;
Non militem in caſtris.
Deponit galeam, aſſumit Coronam,
Paci magìs, quàm bello accommodam.
Rejicit pharetram, & gladium, Sceptrum Regale ap-
prehendit; (ſtructum.
Nemo dixiſſet ad prælium, ſed ad pompam in-
His armis, non armis, munitus Rex, quietis publicæ
Invadit caſtra tumultuantium. (amans,
Quid ſit?
Tacent tubæ, ſilent altùm tympana,
Rex voce ſua claſſicum intonat.
Quacunque graditur, viam per medios hoſtes aperit;
Non haſtis, ſed pacis, & gloriæ inſignibus.
Sternit omnes ſinè vulnere;
Vincit omnes, nullum necat;
Sinè fuſo ſanguine, verè incruentam victoriam re-
Vincenti pariter ac victis ad ſalutem. (portat;
Sentiunt contumaces, novam Bellonam, Coronam
Regiam!

Concidunt omnes animis, procidunt córporibus,
Et unà, Caput rerum novarum, procumbit.
At profuit illi procubuisse:
Nam paucis post annis evectus ad Regium fastigium;
In Diademate, quod de genibus adoraverat,
Adoratus est
Rex.

Elogium III.

FULMINATRIX,

LAurum,
Augustale decus,
Fatidicam putaverunt, homines sinè DEO;
Nos,
Coronam hanc Regiam fatidicam esse;
Experimentô didicimus.
Laurus combusta fragosiùs, felicitatem portendebat;
Corona hæc fragosissimè non adusta, sed ferè pulsata,
Infelicitatem præsagiît;
Ast immunis à fulmine, ùt laurus fuit.
Quis Oedipus huic Sphingi?
An
In turrim Sacri Diadematis cadit fulmen?
Ità est.

Sed

Sed mementote Cæli,
Hac mole claudi veſtrum pignus,
Partem dixerim veſtri:
Facitis id fortaſſe, ne totô Cælô aberretis.
Nihílne dabitis amori conſanguineo?
Qui jam inde ab incunabulis Regni
Inter vos genitus eſt;
Et veſtri exſcripſit imaginem,
Dum fidem.
Obſurduit polus.
Sol officio defungitur, lux emoritur.
Tempeſtas atra faces triſulcas parat accendere.
Superi!
Quid diei à nocte hac malè ſplendente expectandum?
Ruit,
Ecce ruit omni impetu lapis igneus,
Sapphirum Coronæ Pannonicæ,
Et gazophylacium multorum Regnorum petit.
Utque fœtore noveris eſſe inimicum,
Immanè! quantum ſulphur olet.
Demum, ut omne dubium de certitudine præſagij
Dilueret Corona fatidica,
Bis, non dedit, ſed accepit ſonum fulmineum.
Remotum eſt ſiparium.
At en!
Nîl fatale cimelio in fato hoc?
Fatale, & portentoſum Regno.

Scilicet non omne, quod furit, ſtatim ferit,
Sed ferienda ſignificat.
Satìs erat tetigiſſe locum, & terrere,
Terreri neſcia,
Ut timoris capaces metuerent.
Arceſſere tamen videbatur ſibi periculum Corona,
Ut à charis patriæ laribus arceret;
Quæ quidem in extremis periculis,
Secura periculi agebat.
Impetus ille cæli, vicinus Diademati,
Anne Amoris erat, & virtutis magneticæ?
Quando amor neſcit, nisì per raptus
Scenam ludere.
An Providentiæ:
Ut indormiſcens Hungaria
Tanto fragore excitaretur à cælo,
Ad præcavenda bellorum fulmina.
Sanè
Devolandum erat cælis ad excitandum;
Ne ſi ſeriùs excitarent,
Veterno periret Regnum.
Vetus eſt:
Prævisa tela minùs feriunt;
Hìc æthereum telum feriît, ut tela
Martis domeſtici prævideréntur.
Vulnus in turri factum, pro remedio erat,
Flamma cæleſtis pro refrigerio multorum.

Qui

Qui ex his casibus nîl ultra vulgus viderunt,
Nihil viderunt.
Igitur
Non sibi, sed populis Insigne metuebat,
Cùm metum incuti volebat.
Septem jam sæculis fœdus cum Astris inîerat,
Promissi admonuit:
Nec multis apud cælos actum:
Qui quò velociores, & leviores sunt, potentiùs agunt;
Charo pignori ut ocyssimè auxilio essent,
Ignes expediverunt;
Ignes amicos Diademati,
Non amicissimis Diademati, inimicos.
Modestiam vide cadentium:
Adoratâ eminus Coronâ saluti publicæ ut consule-
Grandi sono Eam salutârunt. (rent,
Adeò *non omne fulmen brutum est.*
Miraris?
Unde facultas præsagiendi huic Coronæ?
Desine mirari;
Magis res mira fuisset, si eam futura latuissent,
Tot aliàs prodigiis inclytam.
Subsiste hìc,
Ne ruas, dum stare potes Hungaria.
Ab astris mittuntur ignes, qui te illuminent,
Ne cæcutias ad ignes fatuos,
Tot nebulas tibi offundentes.

Cave,
Dum, nescio quæ Noctuæ, ferale carmen,
Et classicum tibi occinent;
Ut diu moriaris, animam ages per lustra.
Si aliquando
Corona Sacra Augurium simile dederit,
Scito:
Ducent Fortunæ multi, Fortunis spoliare;
Perdere omnia, ponent in lucro;
Securitatem existimabunt, tutum esse nullibi.
Palmam feret de pietate impiissimus quisque;
Religioni dabitur, nulla esse in Religione;
Charitas censebitur patria, sævire in patria viscera.
Hæc sit veritas,
Aut mendacium sempiternum.
Verùm
Ferenda erant suprema cuncta, ut CAROLO potire-
Ad tantum præmium, (mur.
Per ignes, undas, tela, neces, eluctandum erat.
Tota debuit concuti, tota turbari Hungaria;
Ut Alcedoniis in mari peractis,
Veniret CÆSAR,
Atque erudiret: Quid sit quies
In motu reversionis.
Et bello ardere debuit, citiùs extinguenda,
Ad pelagus morante Principe;

Cui

Cui non tria ad pacandum Regnum
Sed unum ſuffecit *veniſſe*.
An non major illo, cui tria ad unam victoriam
Neceſſaria erant?
Qui denique
In ſuam virtutem traxit culpam:
Ignorâſſent enim infelices clementiam Ejus,
Nisi peccatum fuiſſet.
Bene Tibi jam ſit Auguſt. Rex!
Quemadmodum ille ex Capitis incendio, Rom. Im-
Sic Tu Hungarici, (perij;
Ex ignibus Coronæ felix Augurium cape.
Vives!
Et in poſteritate Tua beatiori Hungariæ
Vive.
Tertius Hiſpanis es CAROLUS, Tertius Hungaris,
Decet Te fieri ter ſecundum.

Elogium IV.

CAPTIVA.

HEu!
Libertatis Chriſtianæ Hungaricæ Nota,
Captiva ſit Corona inſons.

Hoc

Hoc nempe est
Infaustæ sortis ingenium ,
Nec à Sacris, nec à Magnis, manus abstinere.
Nîl tamen mirum :
Ut viris magnis , ita rebus magnis ,
Omen jucundum ex tristibus próvenit.
Neque de sublimitate quisquam gloriari potest
Nisì arduos tulerit casus.
Imò ,
Quia eminentes res sunt , magnis ea re
Obnoxiæ sunt ruinis :
Quemadmodum proximi astris montes ,
Primi cælorum injurias patiuntur.
Captiva itaque sæpius tenebatur Corona Hungariæ,
Semper nihilominus è squallore carcerum
Prodiît splendidior.
Adeò situs rubiginem illi non aspersit,
Majestatem non minuit.
Tenebatur , ajebam , Captiva Corona ?
Intellige , non sinè pœna talionis.
Nam interdum corpora ,
Ambientium semper captivabat ambitionem ;
Qui sui ipsorum regimen dimittentes ,
Coronam , & Regnum arrepturi ,
Propriæ evaserunt mancipia appetitionis.
Cùm tamen Regibus ,
Prima regnandi rudimenta à seipsis sumenda sint ;
Nec

Nec sunt regendo majori orbi,
Qui microcosmum suum non frœnant.
Primus, tenebris damnavit lumen hoc Hungariæ,
Wenceslaus Rex Bohemiæ, *Wenceslai* Regis Hung.
Pater;
Quem id minimè decuisset, utpote Protectorem.
Hic, ut nutantem in tenero capite tredecennis Filij
Firmaret Coronam,
Exercitum validum à saltu Hercinio *Pesthum* adducit,
Filium sive ornatum, sive oneratum
Diademate Pannonico ad se venire jubet,
Utque sublevet infirmum,
Cum Diademate confestim in Bohemiam abducit.
Quamvis prudens fuerit,
Existimans, ubi Coronam Hungariæ, ibi Regnum fore;
Falsus tamen est;
Arbitratus hoc sydus extra suam sphæram lucere posse.
Certè animam corpori abstulisse visus est,
Cùm Regnum Rege, & eo, sinè quo Reges
In Pannonia Regium nomen vix sustinent,
Destituit.
Pius nihilominus videri poterat *Wenceslaus*,
Quòd hoc pacto, contra æmulorum potentiam,
Pater Filium tutaretur.
Controversum est;
Piúsne magis fuisset *Wenceslaus* Pater,
Si ipse Ecclesiæ filius,

Summo Eccleſiæ Patri obedientiam præſtitiſſet?
Quod enim BONIFACIUS VIII. volebat, hoc ille
renuebat. (tem,
Pontifex Carolum Robertum, Sedis Apoſtolicæ clien-
Regésque Hungariæ propiùs ſanguine contingentem;
Bohemus Filium, vicinitate Regno juvando aptiorem,
Regem inaugurari flagitabat.
Hic paterno affectu, ac numeroſo exercitu,
Ille anathematis duntaxat diris
Pro *Carolo* dimicabat.
Verùm,
Difficile eſt eripere cuipiam rem jam poſſeſſam,
Cujus illa jam poſſederit animum.
Sæpe non alliciunt modò, ſed rapiunt mortales,
Quæ ſplendent;
Ut cum oculis etiam affectus faſcinentur.
Controverſiam hanc primùm poſt decennium
Deciderunt volentes Hungari.
Interea melior erat conditio uſurpantis *Wenceslai*,
Quàm *Caroli*,
Corona, & ſuffragiis Procerum carentis.
In hoc iſtius melior,
Quòd iſti DEUS per Vicarium ſuum Inſigne adjudi-
Tamdémque impoſuerit. (caverit,
Quod in proverbiis eſt, illud interim accidit;
Litem, quam duo abſolvere nequibant,
Tertius diremit *Otto* Bavarus,
Idémque causâ caſurus.

Hic

Hic gavisus est quidem inter duos litigantes tertius,
Et tota de reducta Corona gavisa est Hungaria.
Sed gaudium,
Quod *Otto* multis aureorum emisset millibus,
Non fuit precioſum, & diuturnum.
Longius fuisset, si & tempus fruendi,
Aut emere, aut precariò accipere,
Licuisset.

Versat nimirum Fortuna rotam:
Humana, quia in orbe sunt, aguntur in orbem,
Et dum radium unum attollunt, substituunt obversum.

Vix enim *Otto* seu preciô, seu prece Coronam redemit,
Vix illâ redimitus est,
Vix supremæ potestatis locum conscendit bene;
De Regni sede ruit Rex,
In potestatem *Ladislai*, Transilvanienſis
Prætoris, cum *Diademate* incidit.
Secundùm jam captiva *Corona*
Vota minimè secundavit Paludati Occultatoris.
Indignum se Regno præstat,
Qui ut regnet, dolo, aut vi utitur.
Quod monstrum?
Quartus etiam gaudere vult inter tres dissentientes,
Ladislaus Regem, cum Insigni, custodiæ tradens.
At verò
Captivare Ottonem, captivare Coronam potuit,

Procerum tamen ſuffragium, fidem, & amorem po-
Cogere in obſequium non valuit. (puli,
Nihil enim ſe cogi patitur minùs,
Quàm ſuffragium, quod ambitione antevertitur.
Qui imperandi poteſtatem ſibi arrogat,
Imperij clavum vix tenebit.
Viſus tamen eſt ſibi regnâſſe, (vam
Quòd ad poſtulata Magnatum, Coronam adhuc capti-
Carolo hujus nominis Primo deſponſantium;
Surdas contumax diu tenuit aures.
Reipſa Rex erat in hoc,
Quòd ſubditum ſe haberet unicum,
Eundémque Optimatem faventem unicum.
Tam dulce eſt regnare,
Ut lethargum pene procreet, & omnem
Audiendi facultatem adimat quibusdam.
Non clamores Magnatum,
Non armorum Coronam repetentium ſtrepitus,
Aperire poterant aures Ladislai,
Donec repetita ſæpius Romani cæli tonitrua
Malè ſurdum, & ſomnolentum expergefacerent,
Ut refragari non potuerit *Carolo*,
Cui Urbs pridem album miſerat calculum.
Ceſſit ergo Coronam *Ladislaus*, ſuſcepit *Carolus*;
Quocum Coronæ multa venêre Bona.
In illo enim nacta *Oeconomum*,
Pluribus ſe Regnis auctam gloriabatur:

Nacta

Nacta *Militem*,
Qui bonam causam in prima acie collocavit;
Nunquam adverso Marte pugnavit,
Nisi impia fraude deceptus.
Nacta *Pacificum*,
Ut qui gladium nunquam educeret,
Nisi verbis, & pace nihil profeciſſet.
Nacta *Juſtum*,
Ut qui primus, causas dubias bilance juſtitiæ librare,
Liquidas non prolongare,
Primus denique Leges ex Regno extero advocare cœ-
Proſperô ſanè auſpiciô; (perit.
Ut qualis Tu, AUGUSTISSIME CÆSAR,
Futurus eſſes Rex noſter,
CAROLUS III;
Ex primo conjiceremus.
Et jam in Te
Sortita eſt Hungaria *Militem* fortiſſimum;
In quem cum Sanguine virtus Patria eſt transfuſa.
Sortita eſt in Te *Oeconomum*,
Qui, ut ſubditos ditares,
Tributarius Reip. de proprio eſſe non erubuiſti;
Nullum donum accepiſti,
Quod in vectigal non converteres, aut liberalitatis,
Aut ſtipendij.
Nacta *Pacificum*,
Qui Tecum nobis tranquillitatem attuliſti.

Nacta *Juſtum*,
Qui nunquam ab æquitatis trutina recederes.
Sed ad Coronam.
Dubium eſto;
Utrum apud *Fridericum III. Auguſtum*
Hoſpes gratioſa, an captiva fuerit?
In comperto eſt;
Fuiſſe honorificè habitam, & arctè cuſtoditam,
Ac poſt quinque luſtra liberatam.

Inclaruerat valdè in *Corvino* ſydus hoc Hungariæ,
Æternam propè ſubîit ecclypſim à Luna Solimanni.
Et ſubîiſſet,
Si Barbarus ſciviſſet precium gemmæ.

Ut conſiſteret in Throno,
Supplex illi factus eſt *Joannes* Coronatus,
Meruítque ab ejusmodi Numine exaudiri.
Quærat aliquis?
Quid Corona in manibus *Aſiatici* portenderit?
Fortaſſe, quòd Buda cum tota pene Hungaria,
Ceu Troja ſubductô Palladiô,
Capienda erat.

Eodem tempore,
Bigamum fuit Diadema Pannonicum;
In *Ferdinandi* tamen amores pronius.

Apud quem aliquando
Laſſum ex Dacico itinere quievit.

Deni-

Denique
In *Bethlehemi* custodiam venit,
Meliori antè traditus Thesaurario,
Maximus Hungariæ thesaurus.
Ferebatur huc, atque illuc Corona,
Inquieta semper,
Dum rediîsset ad illum, quem coronârat.
Si cui unquam,
Quadrat Corona ista CAROLO VI.
AUGUSTISSIMO;
In quo, & in qua
Similitudo periculorum,
Major erit conciliatrix amorum,
Quàm similitudo morum.

Elogium V.

GLORIOSA.

MIrabilia mundi vides,
Qui gloriæ miraculum, Coronam Hungariæ intueris.
Hoc ei elogium non assentatio calami,
Sed meritorum excellentia tribuit.
Cælo auspice felicitatis auspicata sortem,
Ipsam sub auroram, gloriæ meridiem tenuit.
Res mira!
Omnia, quæ magnis surgunt incrementis, ab infimis initia sumunt: At

At sola sibi hoc proprium Corona Hungariæ vendicat,
Cùm Regno primùm nascitur,
A duobus summis ortum accipit.
Posteaquam enim
Divus Stephanus, primi, ac piissimi Ducis *Geysæ*
Æquè primus Rex, ac piissimus Filius,
Divi Adalberti manibus Sacro fonte lustratus,
Salutis scaturiginem in totum Regnum effudisset;
Atque (Hunnos,
Exleges Ecclesiæ, & suo Regno, sub legem mitteret
Orpheus in sylvis, Arion in mari, Amphion in Urbi-
Ubique Deucalion, (bus,
Saxeos animos in humanos mores animavit.
Ubique redivivus Prometheus,
Igne, quô ardebat, aliorum etiam animos incendit.
Ubique divinior Æsculapius,
Cæcitatem Ethnicam depulsurus,
Fidei cæcitate medebatur,
Ut viderent.
Dum has curas pro Numine versaret Stephanus,
Unus præ reliquis curæ Numini erat.
Et ideò
Quantum ille fervoris impendit,
Tantum, & amplius fœnoris DEUS rependit,
Quando
Miecislao, recèns ad fidem Christi conversо, Polo-
norum Regi aptata Corona,

Nulli

Nulli meliùs, quàm *Stephaneo* apta vertici,
A ſummo Eccleſiæ Capite CHRISTO,
Ejusdémque ſummo in terris Vicario, *Silveſtro II.*
Illius imperiô, hujus grati animi obſequiô,
Utrique obſequentiſſimus *Stephanus*, redimitur.
Ita nimirum, (bebatur.
Uni, præ cæteris metenti Victorias, falx gloriæ de-
Falcem gloriæ dictam ne mirêre;
Baſes inſpice,
Quêis ſinè pondere Auguſta Coronæ moles innixa,
Ne degenerem tantis fundamentis uſquam coronidem imponeret,
Tot victoriarum manipulos meſſuit, quot iniquos ſui invaſores numeravit.
Dicebat nonnemo:
Flexa Corona Rota eſt, volucris Fortuna rotatrix.
Hanc tamen nunquam vertit adeò, ut everteret.
Par in utraque Fortuna, utrâque altior;
Proſperâ fovit precium, ampliavit adverſâ.
Imò,
Ampliùs eluctaturam ad gloriam, nunquam non Marti conjunctam voluit;
Quô inter aſperos bellorum turbines,
Durioribus exagitata fortunæ caſibus, eniteſceret;
Corallij inſtar, quod natum ſub aquis,
Continua tempeſtatum, & ventorum vi agitatum, indureſcit in precium.

Majestatem illius si consideras;
Teli instar subditorum sauciavit animos,
Sed dulci vulnere,
Quô in sui amorem raperet, & sequelam.
Irretorto vultu Solem sequitur Heliotropium,
Indissociabili comitatu gloriæ decus
Coronam, Hungari.
Hanc seu proprio in Solio positam,
Seu alieno in Solo commorantem,
Æripedes *Thali*, quoquò feratur, prosequuntur;
Parùm se feciſſe rati, nisì cum Mercurio Solis individuos agant comites.
Quid plura?
Bellis enutriti, imbelle nomen erubescerent Hungari,
Nisì quoties pro illius violato decore bellandum est,
Ociosum esse, odiosum existimarent.
Tunc plurimùm fœnerati,
Cùm vitæ, facultatúmque pene omnium prodigi,
Ut Coronæ stet gloria, mortis victima cadunt.
Ne unâ careant, omnibus exuuntur:
Zopyros imitati;
Qui opibus exuti, membris mutilati, Regni membrum facti triumphârunt.
Non fabulam cano.
Testes sunt *Vladislaus Polonus*, & *Matthias Corvinus*,
Magna Regni decora:
Ille, commissô cum Amurathe, potentissimo Turcarum Imperatore,

Ad

Ad *Varnam*, cruentô prælio,
Ne magna Hungariæ Anima diem videret ultimum;
Magnanimam ponere animam in lucro habuit.
Hic à tenebris ad Solem, ac Solium evocatus,
Dum *Elisabethæ* dolô
Viduatum Diademate Regnum offenderet;
Ferrô, & sanguine nequidquam proficiens,
Viam aurô aperuit,
Ut aureum decus Hungariæ,
Hungariam felicitati restitueret.
Ingentem hìc audis gloriæ Majestatem,
Parùm est,
Oculos, ut illam videas, etiam adde.
Intuere Leges Patrias,
Non Decretum ullum in toto illo *Codice Patrio* re-
Nisì Coronatum. (peries,
Usqueadeò in crimine ponunt Hungari, iis obsequi
Quas Corona non tulit. (Legibus,
Habet nempe illa, nescio quid Numinis,
Quod tantum ei Reverentiæ apud animos subditorum
conciliat;
Ut non secus, æquum juxtà, ac magnum existiment,
quidquid ab illa prodiêrit;
Atque è cælis ipsis veniret.
Habent ipsi etiam Romani Imperij Vertices, quod in-
Imperatori enim, (videant.
Si modò Suffragiorum faverit Religio, assurgimus;

Hungaria Regem adorare neſcit, nisì Coronatum.
Quanta, Dij boni !
Uladislai, & *Corvini* in patriam hanc merita.
Alter laborem, vitam alter impendit :
Cujus quidem impendio ne tantum datum,
Ut Leges latæ, conceſſa Privilegia quadrienniô, eo cadente, ſtarent.
Corvini verò intra ſexennium inanis opera, & largitio, quam Corona.
Non perfecit.
Adde,
Hæredem illam, earúmque Urbium Dominam,
Quæ Liberas ſeſe gloriantur, & aliarum Principes.
Nec enim è dignitate foret Majeſtatis,
Imperare aliis, quàm Dominis ;
Suis obligare obſequiis, nisì Liberos.
Quid,
Quòd cum plurimis Coronæ Fortunis, ne Regibus quidem fas diſponere.
Ut vel inde agnoſcant,
Non jam vertice ſolo, ſed poteſtate pariter ſe ſubeſſe.
Denique illud eſt, quod Orbis ſtupeat univerſus,
Regna: Sclavoniæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Boſniæ, Serviæ, Galliciæ,
Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæ,
Viribus, Fortunis, Artibus, & Regibus longè clariſſima,
Uno pendére à Coronæ Hungaricæ Imperio.
Quaſi

Quasi in hac una tot Coronarum,
Vis omnis, Decor, ac Potentia sita foret.
Et omnino ultra conditionem communem id esse,
nemo inficiabitur. (venisset;
Neque enim is sensus tam diversarum Gentium con-
Nisi, quæ mentibus humanis dominatur Prudentia,
Genium
Plenius de Coronæ Divinitate imbuisset.
Et inde,
Dena Regibus Hungariæ præferuntur *Vexilla*,
Trophæa videlicet Sacræ Coronæ Glorioſissima;
Quæ vel his testatam orbi facit Majestatem suam,
Superiorem omnibus, Parem nemini.

Elogium VI.

FOECUNDA ET SOCIABILIS.

EUge!
Fœcunda Mater Corona Hungarica.
Fœcunditas tua Magnitudinem superat;
Quæ subinde uno partu
Duo Regna genuisti.
Fœcunditatem
Hanc tuam Majores nostri admirati sunt,

Nepotes non crederemus,
Nisì jam liquidò conſtaret,
Te fuiſſe cælitus fœcundatam.
In *Carpato* caput, in Maribus pedes poſueras,
Unum in *Pontico*, alterum in *Adriatico*;
In Ventre (PIUS IV. loquitur) concluſeras ſeptem
Nos domeſtici credimus: Regna.
Quot Memoria Muſas, tot tu Regiones edidiſti,
Aut pia Nutrix foviſti.
Quæ illa tua proles?
DALMATIA, CROATIA, SCLAVONIA, SERVIA,
BOSNIA, GALLICIA,
LODOMERIA, BULGARIA, CUMANIA.
Hæc ſunt
Illæ tuæ Aureæ novenæ Appendices; vel
Lemniſci novem, & inaures
Totidem Filiabus olim præparatæ.
Omnes illæ ſuis Coronis redimitæ erant;
Tu, quæ tot Coronatis præeras,
Non ſolùm Corona, ſed *Archi-Corona*;
Tuus Rex, non ſolùm Rex, ſed *Archi-Rex*
Dictus, aut Dicendus erat.
Cùm fundaretur Regnum Hungariæ
Solitudinem coluit Corona Sacra; nec Nata illi,
Nec pediſſequa.
Ne tamen
Sterilis videretur, initium augmenti fecit

In

In DACIA, tunc aliquantùm divisa, & Filia vaga;
Quæ brevi bello à D. STEPHANO comprehensa,
In longam pacem, & Fidem Sanctam
Ubertim germinavit.
Divus opulentis manubiis *Patronæ* Coronæ
Ingentem ædem erexit,
Ut accessuris Insignibus opitularetur.
Ostendit hac Religione Sanctus Proto-Rex viam poste-
Diademata multiplicandi, (ris
Rectà nimirum eundo ad Astra, & ad *Astrorum*
Aciem Ordinatam in primis.
Semitam sibi monstratam secuti
Salomon, *Geysa*; *Ladislaus*,
SERVIAM ex serva vetere
Filiam adoptârunt.
Unicus *Ladislaus*, totus MARIANUS,
Fatô *Zolimeri* faustissimô,
DALMATIAM, SCLAVONIAM, & CROATIAM
Coronæ, ac ditioni Hungaricæ adjecit.
Metuebant nempe
Tria hæc Regna, sublato capite, vertiginem;
Et ne Acephala quoque membra perderent,
Ad certum Caput properârunt.
Nec sinè fœnore:
Meliora siquidem receperunt, quàm dederint.
Gentilismum exuerunt penitus, Religionem veram
induerunt.

Hæc

Hæc in Crepuſculo matutino
Dabat prognoſtica Hungaricum Diadema;
Ex quibus ſereniſſimam ſibi veſperam, & ſæcula,
Nisì CRUX *fracta fuiſſet*,
Potuiſſet polliceri.
Nihilominus Solem quendam exiſtimârunt vetuſtio-
Diadema Sacrum; (res noſtri
Quòd è cælo Hungarico,
Lux ejus per Regnorum Horizontem
Non aliter diffuſa fuerit,
Ac Principis Siderum per ſigna Zodiaca.
Non enim paſſum eſt Se
Certo Cœlo affigi, ut minora ſidera;
Sed mox aliò tranſtulit lucem,
Et ubique in Circulo gloriæ ſuæ.
Nisì quòd ſemel atque iterum Cometæ ingenium
aſſumpſerit,
Crinémque timendi ſideris ſparſerit in *Galliciam* &
Lodomeriam,
Utramque *Rubram Ruſsiam* dictam, & factam;
Ob perfidiam ſiquidem, fuſo ſanguine,
Fatali rubore ſuffuſa eſt.
Parcite Cenſores:
Si terminos Regni Hungariæ egreſſa,
Et limites mitiſſimi ingenij ſui transgreſſa videatur
Corona noſtra.
Nulla etenim *manus læſa furit unquam juſtiùs*,
Quàm ſacra.

Cùm

Cùm temerarius Gigantum ausus Cælum oppugnaret,
Etiam Superi sæviêrunt.
RAMA *Bosniæ* ramus,
Insita est Diademati feliciùs per Connubium
Ad fœcunditatem.
Nam progenuit totam *Bosniam* partu difficili,
Non insuperabili.
Facta demum cum suis Regibus vectigalis,
Salomonis in Hungaria revocavit tempora.
Interea dum
Dilectæ sibi Coronæ totus militat æther;
Quæ Domina Regnorum esse potuit,
Parentis munus non deseruit,
Sinè quo nullum
Imperium dilatatur.
Superûm decretum id erat, cùm fertilem destinabant,
Ut finis unius generationis, esset initium alterius.
Accessit magnô incrementô CUMANIA,
Et in gremium *Regnorum Matris* refúgit,
Cùm Tartarorum cunei eam eversum ibant.
Fuisset fœtus iste laudatissimus,
Nisi LADISLAUM sustulisset,
Totus ipse jam sublatus.
BULGARIA
Diademati huic diu inimica, diu insidiosa;
Seu Filia, seu Amica denique facta est.
Accesserunt quoque Stemmati Hungarico;

Duæ Sorores
MOLDAVIA & VALACHIA:
Quoniam verò sæpe recesserunt,
Dudum pro degeneribus Filiabus habitæ.
In hunc modum
Dum Corona Apostolica ubertate sua Orbem replet,
Pari fœcunditate
Regna extera cognatione sibi jungit.
In *Germania* & *Græcia*
Imperantes,
In *Anglia*, *Scotia*, *Silicia*, *Polonia*, *Bohemia*, *Russia*, &c.
Austria, *Suevia*, *Bavaria*, *Brandeburgia*, *Saxonia*,
Thuringia, *Styria*, *Carinthia*, &c.
Regnantes, & Dominantes
Habuit Filios, & Filias, Nepotes, & Neptes,
Cæsares, *Reges*, *Duces*, *Marchiones*, *Landgravios*.
Arctissimæ affinitates initæ
Cum *Polonia*, *Bohemia*, *Austria*.
Steriles thalami *Vladislai* Poloni
Ludovico I. Regnum Poloniæ genuerunt.
Bohemia & *Hungaria* propè matrimoniô,
Et jurejurando erant copulatæ.
Austriæ in dotem sæpe data Hungaria,
Ubi nihil peperisset.
Nunc autem est hæreditas Ejus.
Ob quam,
O optatum diu Consortium!

Cum

Cum Regni Catholici Corona jungitur.
Felix Pannonia !
Gratulare tibi sortem fortunatam in nova hac affinitate.
Quàm bene munita, si illi unita !
Si colligata ; quis dissolvet ?
Omen bonum !
Spes magna, expectatio maxima.
Corona *Apostolica* sociatur *Catholicæ*.
Quid *Evangelici sic dicti ?*
Florente terra, vernante polo hæc fiunt ;
Amænum florem, & diuturnum,
Odorem bonum hæc Diademata dabunt.
Cùm Astrorum Princeps altiùs enititur,
Fœdera hæc ineuntur ;
Omine feliciori,
Semper gradum ad altiora promovebunt.
Sub Signo Tauri sociantur :
Bene est ; Signum hoc Regnantibus prosperum ;
Quòd post longas hyemis noctes,
Solem significet contra tenebras triumphaturum.
Prehende ergo AUGUSTE CAROLE
Coronam hanc fœcundam
In Tuam, & nostram fœcunditatem.
Hanc Tua,
Tanquam Magni Theodosii Virtus,
Dudum promeruit,
DEUS decrevit.

Nos cum hac in Te reponimus,
Et coronamus noſtram felicitatem.
Impera fauſtè
Fortunæ, Paci, Securitati noſtræ.
Succede Magnis Majoribus Major,
Eò Laureatus progredere,
Quò neque ivêre Priores,
Neque ſequentur Poſteri.
Secundis ſucceſſibus finem non priùs imponas,
Quàm *Orientem* jungas *Occidenti.*
Quod ut fiat,
Vive! quàm diutiſſimè Vive!
Omnis dies Tibi ſit Natalis,
Nullus menſis non Auguſtus.

Elogium VII.

CORONANS.

ÆTher ad diſpoſitionem ſoli fœcundat agros,
Corona hæc ſiderea ad aptitudinem animorum
Influxit in Reges.
D. STEPHANO
Quidquid de Cælo adferre potuit, dedit;
Sanctitatem, Victorias, Felicitatem.
Ille quidquid accepit ab ea, DEO reſtituit
Liberaliſſimus in Eccleſias patrias, & extraneas.

Qui

Qui Hungariam genuit CHRISTO,
Nîl potuit gignere, nisì *Cæli Hæredes Virgines*,
Atqueadeò quidquid genuit, CHRISTO genuit.
Duos ſequentes ominis melioris incapaces
Diadema offendit, & offenſum eſt.

PETRUS

Petra aſpera, D. Stephani ex ſorore *Nepos*.
Non *diſcinctus* modò, ſed *crudelis* audit *Nepos*;
Cui nisì dejecta fuiſſet Corona, ſponte abiîſſet.
Reſumpſit Diadema, reſumpſit & mores priſtinos.
Ad extremum, qui deſpexerat ſubditos, oculis,
Et vita privatus eſt.

ABAM

Alij *Ovonem* vocant aptiùs, *nigri Corvi ovum* aptiſſi- (mè.
Judex immaniſſimus, de capitibus omnium præſen- (tium
Procerum ſententiam tulit.
Multorum itaque Civium cæde Tyrannus cruentus,
Suâ funeſtus, nec deplorandus.

ANDREAS I.

Non Populi, ſed nuncupatis Cælitibus votis,
Feliciſſimè regnare incepit.
Culpam, quâ in aditu Regni, diſſimulata Pontificum
Se maculârat, poſtmodum delevit; (ſtrage,
Quando applaudente Corona *Religionem collapſam reſtauravit.*
Non fudit, ſed confudit Vindicem Petri,
Panem, & *Pacem* petenti dedit.

Longiori luce dignus, extinctus est pugnans
Pro suo Lumine gloriæ.

BELA I.

Per *Ruinam* Andreæ conscendit *Solium*,
Ruinâ solij, aut domûs depressus, supremùm decubuit.

S. SALOMON

Bis invito Diademate redimitus, ne semel quidem
Regnavit. (prosperè
Sæpe fugitivus latibula quæsîit Regnando,
Regno valedicens invénit;
In quibus Rex sanctior meliùs suo animo,
Quàm antè populis jura dedit.

GEYSA I.

A statura, à factis *Magnus*, à virtute *Major*:
Spectante Ladislao per Angelum antè Coronatus,
Quàm per Metropolitam.

Cui proinde Cælum viventi detulit Coronam,
Eum meritò maturiùs ad Cæleste Laureolam evoca-
S. LADISLAUS (vit.

Ipse *stylo lapidali* monumenta reliquit incisa;
Siquidem elegantissima *saxis impressit miracula.*

Novus Moyses aquam ex rupibus elicuit;
Nummos aureos, inauditâ antialchimiâ, in lapides
vertit. (pserunt.
Et jumenta, quibus vehebatur, saxis prodigia inscri-
Sacratissimus in vivis dictus, non à potestate,
Sed à sanctitate clarissima.

COLO-

Natura notaverat, nemo miretur, quòd ſibi aliqua
Inuſſerit ſtigmata.
Nec *Pedo*, nec *Sceptro* undequaque idoneus.
Laudabilis, quòd ſua mordicus retinuerit.

Faſtum ejus contudit *Ruſſia*, ille *Dalmatiam*.
Alternabat affectu: humanus, & immanis tandem in
STEPHANUS II. (Fratrem.
Alieno Regimine meliùs rexit, quàm ſuo.
Huic præſtitiſſet nunquam, quàm toties pugnâſſe.
Mobilis alioqui ingeniô, nutantem *Dalmatiam* con-
Cœlibem vitam diu duxit, (firmavit.
In extremis *Monachum induit*.

BELA II.

Luminibus oculorum caſſus luculentam ex æmulo
victoriam reportavit.
Invénit primus cum Filio *Galliciam* & *Boſniam*.
Fuiſſet hic Coronæ oculus, niſi aliam cæcitatem ſibi
conſciviſſet.
Laudem magnam tuliſſet, ſi duplici cæcitate captus
Nihil ſcripſiſſet.

GEYSA II. (præbuit:
Rem raram fecit: Puer, ac Tyro, militiæ Ducem ſe
Rariſſimam: Concordiam cum Fratribus ſanctè ſerva-
Ocij, & Martis cultor eximius. (vit.

STEPHANUS III.

Triennali immunitate Regnum donavit;

Ca-

Captavit nempe auram popularem, explere non po-
Non enim solus regnavit. (tuit.
Plùs pugnavit aurô, quàm ferrô; plùs consiliô, quàm manu.
Bis amisit, bis recepit Diadema, ampliùs non potuit.

LADISLAUS II.

Miris artibus arripuit Coronam,
Cùm Stephanus erepta Coronæ, restitueret.
Sed comprobavit *Violenta non diu durare.*
Annus enim Coronationis primus, fuit illi & ultimus.
Regem fuisse testata est pompa funebris Regia.

STEPHANUS IV. (tur.

Reluctante Diademate, quia alij olim obstrictô, orna-
Fusus in prælio Honori cedit, & Majori.
At Corona impatiens duorum Regum,
Ambobus, Fatis eodem anno Sceptra abstulit.

BELA III.

Augiæ stabulum purgavit, Regnum latrociniis libe-
Mores acri censura correxit. (ravit,
In ocio opibus negotiosè intentus.

EMERICUS

Miraculô à Corona Fratrem absterruit.
Scelera coërcuit, virtutibus Regnum excoluit.

LADISLAUS III.

Brevissimum juvenis in Diademate gaudium habuit.
Antequam didicisset humana regere, ex humanis exemptus est.

AN-

ANDREAS II.

Domi regnavit quietè, foris imperavit fortiter.
Justitia, & Pax hoc Regnante regnabant.
Nec Amor conjugalis, hunc à Justitia removit.
Hierosolymitanus dictus à bello, cui Imperator præfuit.
Non ab hoste, sed à *Nilo* circumfusus, vix eluctatus est.

BELA IV.

Bellator infelix; Divina (ipse fatetur) flagellatus manu.
Amisso exercitu, desertâ terrâ Rex extorris.
Pulsus à Tartaris, Cumanos recepit.
Æterna commendatione dignus,
Quòd ex ruinis *Novam* condidit *Hungariam*,
Vel maximè *Ecclesiasticam*, & Castrum Budense.
Arrogantiam Juvenilem Senior pulchris virtutibus emendavit.

STEPHANUS V.

Diu Sceptrum affectans, parùm rexit.
Diu Rex Junior dictus, Seni esse non licuit.
Totius Hungariæ Regem se vocavit, antequam fuisset.
Felicior bellô quàm Pater, *Bulgariam* vectigalem fecit.
Bohemum, Patris, & suum domitorem, edomuit.

LADISLAUS IV.

Tartaris cessit, Cumanos attrivit.
Amoribus deinde Cumanorum irretitus,
Samson alter ab ijsdem comprehensus.
Forsitan Sacra Corona eum pati non potuit;
Siquidem novô sanctitatis violatæ argumentô interfici permisit.

Mirare lector: Hominibus & rebus sacris, addictus fuit.

ANDREAS III.

Omnium suffragiis electus, conjurationi obnoxius.
Clementiâ factiones fovit, Prudentiâ temperavit,
Imperavítque quoad vixit. Vir probus,
Justi & æqui tenax; *Non placuit omnibus.*

WENCESLAUS

In triennium non tam regebat, quàm regebatur.

Hic Ascanius cum suo Ænea
Quod maximum potuit Pannoniæ spolium;
Divinos Penates, extulit.

OTTO

Immortale pretium, mortalis auri pretiô,
Venalem existimabat Coronam Hungariæ.

Potitus ea, dum occultissimè recondere parabat,
Ipse clausus est.
Abiît, solem nunquam visurus in Pannonia.

CAROLUS I.

Multa præclarè gessit.
Amplissimum Imperium obtinuit.
Fœdera & Affinitates cum Principibus nexuit,
Domesticos hostes subegit.
Themidem ex *Francia* in Hungariam induxit.

LUDOVICUS I.

Hungarici nominis gloriam latè dissemînavit.
Expeditionibus plurimis, & totidem victoriis conspicuus,

Orna-

Ornamentô ſummô Sacri Diadematis.
Fuit Rex, cui nihil addi potuerit.
Trienniô illi Hungari parentârunt.

MARIAM

Merita Patris, cum ſuprema poteſtate ad Solium promoverunt: (ceres.
Sexus, ſatietatem procreavit. Pudere Fœminæ, Pro-
Hujus ſolius creditur caput contigiſſe Sacra Corona,
Et factum paulò poſt averſata.
Si perfecta *Semiramis* fuiſſet, diutius præfuiſſet.

CAROLUS II. (minutus.

Brevis Staturâ, breviſſimus Imperiô, Capite quoque
Ambitu & calliditate Coronam à fœmina
Adeptus, aſtu fœmineo perdidit.
Cur quieta Sceptra ſua deſeruit,
Turbulenta adiît?

SIGISMUNDUS

Conſiliô primus, Marte ultimus.
Niſi duellâſſet cum Fortuna, næ fortunatiſſimus fuiſſet.
Hæc magnorum æmulatrix, quoties prope Sigismun-
Armata ſtetit, toties inermis cécidit. (dum
Prin ceps Pius, Modeſtus, *Amans Hungarorum.*

ALBERTUS.

Nomine ſuo *Turcam*, & *Polonum* fugavit.
Hunc honores fugientem conſecuti ſunt.
Solus & unicus *Imperialem Dignitatem lachrymans ſuſcepit*,

Nec alia ratione, nisi consentientibus Hungaris.
Principi desiderabili, in supremo honorum accessu
Vita succisa est.

LADISLAUS V.

Cum floribus pari fato ortus, & deortus est.
Regnare incepit, cùm vagiret.
Longitudine Imperij multis par, vitâ impar.
Rex vixit sât diu, homo non diu.
Spes erat populorum; at flos caducus:
Pulchrè tamen óccidit.

ULADISLAUS I.

Hic amore Diadematis hujus mortuus:
Quod nunquam viderat, deperibat.
Probior, Fortior pluribus eô Coronatis.
Accepit Coronam immarcescibilem,
Et memoriam perennem.

MATTHIAS CORVINUS.

Martis & Artis Alumnus in pauciſſimis Egregius.
Interdum *Polydexter*, interdum *Ambidexter*;
Altera manu *Orientem*, altera *Occidentem* impugnavit.
Fortunâ superior, *Æquus ut nihil supra.*
In hunc nec invidia, nec fraus, nec gladius
Quidquam valuit, sola mors.

ULADISLAUS II.

Ad Pacem pronus, injuriarum oblivioſus,
In DEUM Religioſus, in suos Humanus,
In omnes Facilis.

Tur-

Turbatissimis rebus pacatissimè rerum potiri voluit,
Non potuit. *Da pacem Domine!*

LUDOVICUS II.

Mirabiliter natus, mirabiliter vixit.
In pueritia Adolescens, in adolescentia Vir.
In florentissimo ævo canuit non minùs ingeniô,
Quàm capillô.
Pugnavit, Heu! & ambiguum reliquit,
Utrum plus habuerit in ea animi fortitudine ætatis,
An in ætate virtutis?
Vivit interim posthuma magnanimæ indolis fama.

JOANNES.

Dynasta potens, Rex alienô suffultus brachiô.
Regnavit inter spem & metum, in patria & exilio.
Aptus tamen Regimini.

FERDINANDUS I. (tissimus.
Princeps animi magnitudine, & sapientiâ excellen-
Novus Hercules variis cum monstris decertavit.
Hungariam Turcis, Indigenis, Hæresibus discerptam
Sanare plurimùm laboravit.
Budæ hospes fuit, qui Incola providus fuisset.

MAXIMILIANUS. (diosissimus.
Pater fœcundus, Hungaricorum commodorum stu-
Multa conatus, multa confecit, non omnia.
Cum Selymo fœdere ligatus, in Belgium & Galliam
Signa explicuit.
Antè autem Sceptra meruit, quàm sustulisset.

Princeps ſagax & cautus.

RUDOLPHUS

Conſtans in adverſis, Moderatus in ſecundis.
Limites Imperij ſui in Pannonia extendit.
Muſarum cultor eximius.
Legationibus *Perſicis*, *Turcicis* ornatiſſimus.

MATTHIAS II.

Belgicum Leonem primâ adoleſcentiâ,
Deinde Bohemicum frænavit;
Cruci Hungaricæ mirum in modum addictus.
Miles ſtrenuus, Imperator exquiſitus.
Hungarorum animos ità captivavit & devicit,
Ut omnium ore Rex proclamatus fuerit.
Pro Corona pugnare, moríque paratus,
Reduxit eam ex longo exilio triumphantem.

FERDINANDUS II.

CÆSAR DEO acceptus.
De quo concentus omnium laudum parvus;
In quo omnis gloriæ apex reſedit;
Cujus virtutes nullius vitij confiniô læſæ.
Qui *Necatô Unô* Lernam malorum interemit.
Victô Unô plus egit,
Quàm ſi *Numantiam*, & *Carthaginem* evertiſſet.

FERDINANDUS III.

Heros in campo nutritus.
Paternarum virtutum hæres.
Suecicis victoriis ut Rex Hungarorum Splendidus.

Comis

Comis in exerrantes ſubditos.
Fanum Jani concluſit in *Imperio & Suecia*,
Poſtquam triginta annos patuit.
Bis in Hungaria pacis oleas plantavit.

FERDINANDUS IV.

Auſpiciis Patris gubernavit Natus obſequens.
Tribus Sceptris potitus Adoleſcens.
Promittebat multa, Fratri exequenda permiſit.

LEOPOLDUS I.

Ex virtute *Pius*, à geſtis *Magnus*.
Victor omnium adverſorum, inſidiarum, machinationum.
Vindex Pannoniæ, Pater omnium ſuorum populorum.
In fortuna utraque idem.
Barbarorum *Terror*, *Domitor*, *Triumphator*,
Chriſtianus *Imperator*.
Hujus omnia facta marmore digna.
Hic Marti Themidem,
Palladi Conſum
Feliciſſimè aſſociavit.

JOSEPHUS I.

Tempus Imperij brevius; Felicitate compenſavit.
Nullam ab hoſte cladem accepit, multas intulit.
Victos bis vicit, Armis, & Clementiâ.
Galliam conſternatione, *Neapolim* triumphô,
Hungariam amniſtiâ, *Mundum* famâ implevit.
Amore ſuos complexus, Timore hoſtes, Liberalitate Egenos.

CARO-

CAROLE III. Regnans,
P. F. Auguſte!
Cùm TE Hungaria ungeret Principem
Annô XII.
(Hic namque Duodenarius Apoſtolico debebatur
Diademati)
Exacta quatuor Luſtra probant
Coronaria tunc auguria fuiſſe Oracula,
Gratulationum aurorâ in hunc Gloriæ meridiem deſi-
Primô Imperij Quinquenniô (nente.
Semel eduxiſti fulminantem acinacem:
Illo mox auſpice, TEMESIA cum Banatu liberatâ,
Deſpotarum vetere Regiâ Coronæ reſtitutâ,
SERVIA Barbarorum ſervitute vindicatâ,
Ingenti acceſſione Pannonias,
Metu Thracicum Boſphorum impleviſti.
CIS-ALUTANA Provincia Tuô beneficiô Coronam
adorat.
TRANSILVANIÆ uno tempore Arcem,
Arci Antiſtitem,
Antiſtiti Baſilicam reddidiſti.
TUÆ ſub Aquilæ alis, Urbes ædificiis, Agri populis,
Novis molitionibus Munimenta Regni firmata,
Templa decori reſtituta,
Novam nobis exhibent Pannoniam.
Quid mirum?
Ad conſpectum CAROLI pacata, ac ſilente terra
Ocium

Ocium nactus es posterioribus tribus Quinquenniis,
Regno omnibus Triumphis potiora beneficia redden-
Justitiam, & *Pacem*. (di,
Posonienſi ac Peſtanæ Urbibus Senatum;
Danubio Tybiſcóque concordiæ vinculum,
Sedem Juſtitiæ pub. fixiſti,
Totidem Pacis Cuſtodes, quot tribunalia Themidi
ſtatuens.
Felicem Patriam TE Principe pacis!
Fortunatam TE Juſtitiæ arbitro CORONAM!
Quæ, quòd *Angelica* ſit, oſtendit pax in terra.
Ut *Apoſtolica* ſit; reſtat, ut ſit *unum ovile*:
Unus DEUS, unus Rex, una Fides, una Lex.
Quibus conficiundis reſtat votorum apex
HÆRES!
Qui aut jam veniſſet, niſi maximis præpararetur re-
bus gerendis;
Aut Hungari non meruimus de tot naſcituris
UNUM,
Quô arbitrô tot diviſa fiant UNUM.
Illô negatô reliquum eſt,
Ut Cœlum pro Immortalibus in Remp. meritis
TE Immortalem decernat,
Sempérque *renovetur* (*ùt aquilæ*) *juventus Tua.*
VIVE! FLORE! PERENNA!
Dum eodem, quô Cœlum CORONAM repetet die,
Unde Venerat, eodem TECUM reducas.

SOLENNITAS INAUGURATIONIS
Nunc Feliciter Regnantis Sereniſſimi
Hungariæ Regis
CAROLI III.

CElebritatem ritúmque, quibus Auguſtiſſimus Rom. Imperator CAROLUS VI. Rex nuper Hungariæ Poſonij coronatus eſt, poſteris prodituri ità narrationem diſtribuemus, ut à Cæſareo in Urbem, Arcémque Poſonienſem adventu exorſi factos in conſtitutum coronando Regi diem apparatus brevî complectamur; inde quà rationem, ritúsque inaugurationis Regiæ, quà celebritatis iſtius, quoad aſſequemur amplitudinem, magnificentiámque deſcribamus: illo denique qui hæc omnia excepit, epularum, & lætitiæ omnis quæſitiſſimo apparatu narrationem abſolvamus. Decima igitur ſeptima die Menſis Maji horâ noctis duodecimâ obviam Auguſtiſſimo Imperatori miſſæ ex Rabuttiniana Legione Centuriæ quatuor: Altero exceptum, ſalutatúmque die, ex Oppido Petronell decimâ nonâ ejusdem in Oppidum Wolffſtall deduxerunt. Hìc paulùm à via interquieſcenti Colocenſis Archi-Epiſcopus cum cæteris Statuum & Ordinum Legatis, Hungariæ Univerſæ gubernacula Studiáque, illâ, quâ addecebat animi, & orationis reverentiâ defert: Tum viam ad Regni fines remenſus, reliquos de Cæſareo adventu certio-

res

res reddit. Erat Istic ingens Tentorium Viride erectum, sub quo Strigoniensis Archi-Episcopus & Palatinus Regni cum Præsulibus, Magnatibus & Regni Statibus advenientem Imperatorem operiebantur. Pars à dextro Tentorij latere posita longo Germanum Militem, nec indecoro ordine explicabat, siniſtrum latus Hungaricas cohortes suis pro more Veteri Ducibus, Signis, Tubis, Tibiísque decenter distinctas accipere solitum; metu, ne quòd è diversis Vicis oppidísque cogendæ erant, luem, quæ nondum omnino extincta ferebatur, aliquà nonnulli istuc traducerent; voluptatem pompæ, dignitatémque peræquè desideravit. Advenientem itaque circiter horam à meridie tertiam Augustissimum Strigoniensis Archi-Episcopus, & Palatinus cum Regni Primoribus obviam egressi sub Tentorium deducunt, in quo cùm oratione Archi-Episcopi salutatus; Paternæ sibi Hungariam curæ solicitudiníque fore prælargè pollicetur; omnibus summa voluntatis significatione Augustæ osculum manûs indulsit. Tum quà ferreis hìc fistulis, quà majoribus ex Arce Posonienſi machinis sonum latè, lætitiámque fundentibus; quod erat itineris reliquum magno Germaniæ, & Hungariæ Procerum Comitatu circumfusus Eques Posonium persequitur. Cùm ad Tertij rippam Danubij perventum, Rabuttiniani qui equitantem hactenus prosecuti milites subitò restiterunt, Cæteri superatis pon-

tibus hoc ferè ordine Urbem subiêre. Obsidente hinc Pontem utrinque peditatus Germanici cohorte, stationariis illinc Militibus, Civibúsque à Danubio per Urbem totam usque ad D. Michaëlis portam sub quatuor Vexillis distributis, sex primô locô currus omni superbi apparatu invecti, reduces ex Wolffstall Legatos detulerunt: Tum Clerus Universus Illustri admodum & singulari Magnificentia deductus continuò in arcem ascendit. Tenuit hìc in primis accurrentis undique populi oculos Eminentissimus Cardinalis Christianus Augustus Dux de Saxonia Danicis equis, currúque ad Regiam proximè Dignitatem apparato, cum Archi-Episcopo Colocensi devectus; Inde sejuges rubei Colocensis Archi-Episcopi auro purpureis Helciis interlucente vestiti; voluptati juxtà, atque admirationi fuêre. Exiguô hos intervallô itidem sex C. Caroli Zichi equi consecuti nigrum, quô erant colorem delectissimo ornatu distinxerunt: Tum alij ex aliis currus continenter illati pompam, & magnificentiam mirificè intenderunt; dum Comitatuum & Civitatum Legati ingenti famulorum, & assectarum multitudine circumsepti inequitantes; novum & illustre quasi ex intervallo spectaculum ederent. Deîn generosi & elegantes, cujus haud scio, è Germania Principis Sonipedes, ornamentis ad tempus tum, quò videlicet deinceps gratiùs spectarentur, paulùm obvelatis, urbem ingressi. Cæsarei mox viginti & amplius

pliùs equi aurô toti, argentóque prægraves : comitante hos, quæ Regium ſtabulum curat turba, à ſingulis equitibus deducti. Tum Auguſtiſſimi Cæſaris Tubicines duodecim ſecuti, ſuis dum Urbem obeunt tubis, alternis choros agebant. Quos omnes Univerſæ Nobilitatis Ordines apparatiſſimo poſt hominum memoriam veſtitu ornatúque invecti excepérunt. Secundùm hos novus Tubicinum ordo; ac deinceps Regni Optimates cum Palatino equis magnificè delati; dum denique Imperator ipſe compoſito ad Auguſtam Majeſtatem gradu in Urbem ingreſſus. Hunc Cuſtodes corporis, & Ephæbi in ſuos ſeſe utrinque ordines partiti, pedibus equitantem proſecuti ſunt. Ponè hos gradiebantur Curſores, à celeritate nomen ſuum adepti, tum alij porro qui latus protegerent cuſtodes, eductis juxtà gladiis adequitabant : utrique militarem in modum veſtiti, aureis hi; ſericeis illi ornamentis latè effulgebant. Auguſtiſſimus ipſe albô devectus equô, Clamyde Tunicáque argenteô filô interſertis floribus contextâ, albô adhæc pileô, nigris huic, albísque itidem plumis ad veterem Hungarorum morem imminentibus perſanè Magnificè, Regiéque veſtitus, totius in ſe urbis oculos, animósque convertit. Antè verò, quàm intra Urbis ſe mœnia inferret, ad Wedricenſem portam paulùm interſtitit, tum Senatore quopiam, Civium de adventu Cæſareo gratulationem, lætitiámque plu-

ribus verbis conteſtato; Conſul cum Judice Urbis Claves Auguſtiſſimo oblatas tradunt; quibus ille paululùm contactis; Hungariæ ſe iter iſthuc recreandæ gratiâ ſuſcepiſſe; perampla palàm oratione confirmat. Inde Machinarum ex Urbis, Arcísque mœnibus fragore ſemel atque iterum inſonante, edito latè è Civitatis turri tubarum cantu, ære campano per omnes Urbis ædes ſacras lætùm accinente, in intimam Auguſtiſſimus Urbem ingreſſus, placidum c'im in adſitas circum domos, tum omnibus confertim plateis, ac feneſtris effuſam multitudinem aſpectum circumtulit. Dum demum Divi Michaëlis portâ egreſſus, per Altheimianæ Cohortis ad Capucinorum ædes partitè, accuratéque compoſitos Ordines medius, ab alio rurſus atque alio deſultoriorum militum agmine exceptus, comitantibus ex utroque latere aperto Capite Urbis Senatoribus, in ipſam Arcem, ſolis Palatinô illum, & Illésháziô equô ſecutis pervénit. Advenienti Præfectus primùm Arcis cum Militibus obvius, claves Arcis offert; has ubi Cæſarea iſte contactas manu recepit; Clerus Univerſus Infulis, reliquóque Pontificali ornatu veſtitus, ſalutatum, in Arcis ſacellum comitantur; In quo ſolemni DEO carmine ab Archi-Epiſcopo Strigonienſi dicto, feſtus æneis éditus machinis fragor, tertiùm inſonuit; In Cæſareum conclave admiſſa Nobilitas, communi diem gratulatione plauſúque exegit.

Altero

Altero pôst die Bos pinguis, cornua & ungulas inauratus, collum adhæc floreô circùm sertô revinctus, ex Urbe ad Palatinum, inde in Arcem tympanorum inter, fistularúmque concentus, prælatô vexillô deductus spectaculo fuit; mox verò eodem cæsus die assari cæpit. Vespere Corona cum cæteris Regni insignibus à Conservatoribus Coronæ, duobus Germaniæ Proceribus, aliísque quos infrà dabimus, inspectante coràm Regni Palatino ex turri Arcis sublata, & ad Cæsareum conclave delata est. Ibi cùm scitè omnia, & appositè Augustissimo essent aptata, porro in Turrim omnia relata sunt. Pridie inaugurationis Regiæ horâ à meridie secundâ in domum Celsissimi Principis Palatini Regni Pauli *Eszterházi* convenerunt præter Conservatores Coronæ C. Nicolaum *Pálffi &c.* & C. Adamum *Kollonics*, duósque Germaniæ Proceres, ex Clero, C. Adamus *Erdôdi* Episcopus Nitriensis &c. C. Sigismundus *Kollonics* Episcopus Vacziensis. Ex Magnatibus C. Stephanus *Kohári*, C. Thomas de *Nádasd*, Adamus L. B. *Berényi*, Nicolaus L. B. *Czápári*, Georgius L. B. *Gillányi*, Josephus L. B. *Maholányi*. Ex Nobilibus D. Personalis Joannes *Horvát Simonchich*, D. Vice-Palatinus, D. Vice-Judex Curiæ Regiæ Andreas *Hunyadi*, D. Adamus *Meskó* Protho-Notarius Palatinalis, D. Stephanus *Nagy* Judicis Curiæ Regiæ Protho-Notarius, D. Nicolaus *Jeszenczki*, D. Gabriel *Bossányi*, D. Georgius *Czinderi*, D. Martinus *Kosso-*

Kossovics. Tum aliis alij curribus media per civium, militúmque agmina vecti, in arcem ingrediuntur. Coronâ inde & insignibus Regni, à Magnatibus Adamo L. B. *Berényi*, Nicolao L. B. *Czápári*, Georgio L. B. *Gillányi*, Josepho L. B. *Maholányi*: Totidémque Nobilibus, D. Nicolao *Jeszenczki*, D. Gabriele *Bossányi*, D. Georgio *Czinderi*, D. Martino *Kossovics* in currum Regium impositis; distributo ità ferè ordine, ad D. Martini, Princeps Urbis templum profecti sunt, Civibus Militibúsque scitè per ordines & signa divisis. Equites primùm ingressi Nobiles nonnulli, currus deinde tres partim Præsules, Magnates partim, Nobilésque deduxerunt, tum quarto Palatinus curru delatus, Postremus Coronam, & Conservatores Coronæ, Germanis hunc utrinque & Hungaris custodibus stipantibus invexit: Hos Urbis demùm Senatus pro dignitate sua splendidè prosecutus. Ubi ad templi fores perveniunt; Magnates Nobilésque qui Coronam in currum antè sustulerant, hìc rursus cum Cista curru expositam, in locum condendis Sacris Vasis destinatum inferunt; cujus foribus à Palatino & Conservatoribus Coronæ appositô Sigillô obseratis, Custodes Germani, Hungaríque dati sunt. Exinde duabus pro Templi limine centuriis excubias agentibus, reliquus qui superabat Templi ornatus apparatus est.

Vige-

Vigesima Mensis ejusdem die, Dominica, vix dum etiam tenebris evolutâ, Cives edito quatuordecies per Urbem tympanorum Strepitu evocati ad sua signa evolant, atque à Divi Michaëlis primùm porta distributo per gemina platearum latera ordine usque ad sacras D. Martino se se ædes diffundunt. Extra Urbem universa Equitum Rabuttinianorum Legio, dispertitis à Cænobio Capucinorum, usque ad plateam Tyrnaviam versùs prospectantem agminibus, profertur. Ab hac porro ad Fratrum Misericordiæ Templum usque, peditatûs Neypergiani; hinc ad Divi Laurentij portam Equitum Altheimianorum ordo porrigebatur. Horam deinde circiter septimam Palatinus cum Judice Curiæ & Magnatibus, in Arcem profectus, Coronâ interea, Regni insignibus, aliísque pro inauguratione Regia sollicitè intentéque, ab iis qui Coronam ex Arce pridie detulerunt, in Templo curatis. Haud multò pòst, Dominus Personalis Præsentiæ Regiæ in Judiciis Locumtenens, cum Statibus & Ordinibus Regni in Templum ingressi; ut cuique disposita erant loca, sedésque capiunt.

Horâ 8vâ Augustissimus illo, quo referemus Ordine ex Arce egressus. Duo qui iter præsignarent ex Cæsareis longè præibant; His compositus, & elegans famulorum ordo successit ùt Dominis, colore perinde splendoréque vestium distinctus, & diversus; Tum Equites Comitatuum, Urbiúmque Legati ingressi;

proximè Hungariæ, & Germaniæ Optimates equô vecti, longum, variúmque Urbi illo, quo circumfulgebant veſtium, ornamentorúmque apparatu ſpectaculum obtulerunt. Nam ut quidquid iſtuc amplitudinis magnificentiæ erat, universè complectamur; aurum quoquò oculos intenderes, argentúmque, novo quaſi cumulatóque ſplendore diei lucem intendere videbatur: usque adeò non Veſtes modò, ſed equorum phaleræ, fræni vincula, atque ipſi non nullorum ſtapedes, præter aurum argentúmque, nihil quod præterea in iis ſpectaretur vilius habebant: Gemmarum verò & unionum ea ſanè hìc varietas & copia, ut eorum ſi non pretium; admirationem quidem certè eviluiſſe putares. Illud, ne nos noſtra liberaliùs æquô comendare videamur, ſufficiat: plurimos, qui ab exteris huc Regnis, populísque viſendi gratiâ confluxerant, diſertè palámque teſtatos, nihil huius ſe ſimile, ſplendoris uſpiam oculis, famáve accepiſſe; ut adeò iſti, in Nobilibus Hungaris (quod jam olim Barklajus notavit) ſi uſpiam; hìc certè animum ad Magnificentiam factum, & veſtes ad delitias pompámque exactas, recognoſcerent. Sed ad inſtitutam nos narrationem referamus. Agazonum hos deinceps Magiſter Comes Joannes *Kéri*, enſe, quem ab Auguſtiſſimo Cæſare accepit prælato, cum *Heroldo Hungariæ* Excellentiſſimi D. *Gegger* Filio, Caduceatorum more veſtito, albúmque bacillum manu luſtrante ſecu-

secutus: Augustissimus demum Ipse aurô, atque argentô gemmis undique, & lapidibus distinctô vestitus, albô quô primùm in Urbem adiît equô, Senatu ponè utrumque latus aperto capite comitante invectus est. Omnem verò Pompæ Magnificentiam Currus Cæsareus aurô itidem, argentóque prædives sex nigris exquisitè ornatis equis delatus, delectúmque desultoriorum Militum agmen suas in turmas ordinésque tributum absolvit. Ubi propè jam à Templo abesse Augustissimum Clerus accepit, Universus obviam effusus, lustrali ab Archi-Episcopo Strigonienſi Christiano Augusto Duce de Saxonia aquâ aspersum, in Sacri apparatûs conditorium festos inter tubarum, & tympanorum concentus ingredientem prosequitur. Gynecæô interea à Germanis Hungarísque Magnatibus in constructam Theatri specie molem eductô; Legati, & Aurei Velleris Equites suis ab Aulæ Cæsareæ Supremo Præfecto aliísque Hungariæ Proceribus subselliis pro dignitate singuli excipiuntur. Non multò pòst Templô viridi, rubrô, albóque pannô constratô: Parietibus, Belgicis peristromatis, quà aurô; quô effusè conferta erant, quà famâ; quæ relata hæc, per Carolum V. ex Ticinenſi pugna esse spolia memorat, illustribus; quanti erant vestitis: Clerus Infulis, alióque Sacro apparatu ornatus prælata Cruce, Ordinem Curiæ Regiæ Magistro cum C. Casparo *Eszterházi*, & C. Wolffgango *Serényi* moderante, ad aram progressus.

ſus. Vexilla deîn Regnorum decem detulerunt: Hungariæ C. Thomas de *Nádaſd*, Dalmatiæ C. Georgius *Erdôdi* Junior, Croatiæ C. Joſephus *Eſzterházi*, Sclavoniæ C. Franciſcus *Eſzterházi*, Ramæ C. Sigismundus *Botyáni*, Gallitiæ C. Joannes Junior *Pálffi*, Lodomeriæ C. Joannes *Cſikulini*, Serviæ Petrus L. B. *Andráſi*, Cumaniæ C. Petrus *Eſzterházi*, Bulgariæ Georgius L. B. *Berényi*; Hos Conſervatores Coronæ ſecuti, Baculum Regium C. Michaël *Eſzterházi*, Gladium D. Stephani vaginâ conditum C. Franciſcus *Botyáni* Pincernarum Magiſter præferebat. Inde Crucem Apoſtolicam pretioſis ornatam lapidibus C. Sigismundus *Csáki* Cubiculariorum Regiorum Magiſter, Pomum Regium C. Joannes *Pálffi* Banus Croatiæ, Sceptrum Curiæ Regiæ Judex C. Georgius *Erdôdi* pretioſis ſingula pulvillis impoſita geſtârunt. Tum hinc C. Gabriel *Erdôdi* Metropolitanæ Strigonienſis Eccleſiæ Præpoſitus Infulâ, Pontificióque habitu, ac prælta, quam manibus ferebat Cruce argentea conſpicuus; illinc C. Joannes *Kéri* nudô gladiô, & *Heroldus Hungariæ* alterô ſceptrô prælatô; Auguſtiſſimo Cæſari anteibant: Denique Archi-Epiſcopum inter Colocenſem C. Emericum *Csáki*, & Agrienſem Epiſcopum Stephanum *Telekeſi*, Pontificiis ornamentis veſtitos, medius Auguſtiſſimus ad Aram Templi Principem aſſonante Tubarum Tympanorúmque plauſu proceſſit.

Quò ut pervénit ad imum Aræ gradum in genua

pro-

procumbens Archi-Episcopum Strigoniensem Palatino coram adstante quæpiam pro more de Regno rite gubernando commonentem audivit. Coronâ mox aliisque Regni Insignibus in Aram repositis, Palatinus cum quinque qui Regnorum gestabant vexilla Proceribus, dextrum Aræ latus obsedit, siniſtrô ab Agazonum Magistro aliisque quinque Proceribus signisque occupatô. Tum Augustissimus posteaquam oblatam ab Archi-Episcopo Crucem magno pietatis sensu exosculatus fuisset; genibus nixus impositis in Librum Evangelij, quem apertum Archi-Episcopus tenebat manibus, Justitiæ se, Pacisque studia curaturum jure jurando recepit. Illô postea in subjectum sibi pulvillum provolutô, certæ primùm ab Archi-Episcopo preces dictæ, tum illæ, quas Lytanias vocamus Cælitum omnium, usque ad verba illa: *Ut omnibus Fidelibus defunctis &c.* invocationes factæ sunt. Inde continuò à duobus Episcopis, ac Supremo Aulæ Cæsareæ Præfecto levatus, sub Aræ extimique muri recessum deducitur, ubi omnibus ad unctionem rite comparatis ad Aram reductus est. Tum dicta Solenni precatione, Archi-Episcopus dextrum Illi primò humerum, ipsúmque deinceps Pectus oleô, quod dicunt Catechumenorum, inungit; extersô pòst intra eundem quem dixi recessum ab Episcopis oleô; Regio ab illis, Aulæque Cæsareæ Supremo Præfecto, Solio impositus, sacris D. Stephani vestibus induitur.

Divinô deinde ſacrificiô ſub Epiſtolæ finem interruptô, Rex gradu Aræ altiori conſcenſo, evaginatum S. Stephani gladium ab Archi-Epiſcopo de genibus accepit, adjectis his ſolennibus verbis : *Accipe gladium ſanctum Munus à DEO, in quo concides adverſarios populi DEI Iſraël;* quô illico vaginæ inſertô latus accingit, paulóque pòſt ad populum converſus, eductô rurſus, ac in tres partes vibratô gladiô, quò DEI, ac Religionis tuendæ cauſam ſe ſuſcepiſſe ſignificaret, Crucis Signum ducit. Demum genibus ad Aram procidens Regiâ ab Archi-Epiſcopo, & Palatino coronâ ſolennes inter preces incingitur : Sceptróque, & Regni Pomô in manus ſumptô, Regiô ſublimis Thronô collocatur. Inde gratæ, & ſolennes DEO laudes dictæ : Militaris è Sclopis undique & Arcis tormentis plauſus editus : datô verò in Eccleſia à Palatino ſignô, unâ ab omnibus communíque voce *Vivat Rex* acclamatum fuit. Tum Archi-Epiſcopus Cælitum invocatione bonísque precationibus factis, ad Aram reverſus, lecti à ſe Evangelij Librum Regi exoſculandum præbet. Rex Coronâ Regiísque inſignibus, ijs qui hæc geſtare juſſi, traditis ; ad Aram deductus, oblatam ab Archi-Epiſcopo Crucem exoſculatus, aureum munus argenteæ pelvi injectum offert : Illô deinde in Regium Solium reductô, reliquum Archi-Epiſcopus Sacrificium perfecit. Sub quo, elevato à ſacrificante Sacro Chriſti Corpore & Sanguine ;

guine; Regia Insignia in terram conversa, paulóque pòst erecta sunt. Posteà verò, quàm sacrificans Divinum Corpus sumpsisset; Rex duobus Episcopis comitatus ad aram progressus, eodem ab illo Sacro-Sanctô epulô refectus est.

Perfectô denique Sacrificiô, referatô statim Templô à Janitorum Magistro, Templíque tunc delectis Custodibus C. Emerico *Zichi*, C. Paulo de *Nádasd*, C. Sigismundo *Széchenyi*, Antonio L. B. *Amade*. DD. Josepho *Sigrai*, Stephano *Orczil*, Adamo *Rauch*, Casparo *Hrabovczki*; Magnates primùm, tum Aurei Velleris Equites, ac Principum Legati, aliíque deîn, illo ferè quem paulò admodum antè memoravimus ordine egressi, redimitum Coronâ Regem, per pontes rubro, viridi, albóque continenter panno instratos, inter Strigoniensem & Colocensem Archi-Episcopos medium, ad Templum Franciscanorum deduxerunt: Clerô Insulis, sacrísque splendidè ornamentis vestitô eundem prosequente. Equô vectus C. Alexander *Erdódy* Regni Thesauro Præfectus, Argenteam in populum Monetam sparsit. Spectabatur in adversa hujus parte Globus Terraqueus nubibus circumseptus adjecto lemmate: *Constantiâ, & Fortitudine:* Pars aversa has inscriptas habebat voces: *Carolus Tertius, Rom. Imp. Hispa. Hung. Bohe. Rex inauguratus 22. Maji.* Populi verò irruentis tumultum, turbámque submoverant Equites DD. Nicolaus

San-

Sankó, Joannes *Meszlenyi*, Alexander *Nedeczki*, Michaël *Baczkó*. Ad Templi Franciscanorum Fores Custodes appositi Petrus L. B. *Révvai*, Alexander L. B. *Sennyei*, DD. Josephus *Sigrai*, Andreas *Török*, Stephanus *Orczil*, Josephus *Huszár*.

In Templum Rex ingressus Regiô Soliô consedit, tum à supremo Cubiculario Regio, & C. Francisco de *Nádasd* gladiô S. Stephani præcingitur, eóque Equites Auratos humerô ter leniter tactô Creat: Magnif. D. Paulum *Mednyánczki* L. B. de Medgyes Regiæ Cameræ Hungaricæ Aulicæ Consiliarium: Perillustrem D. Joannem Franc. *Péterffi* Regiarum Cameræ, & Cancellariæ Hungarico-Aulicarum Consiliarium: P. D. Georgium *Paluska* Suæ Eminentissimæ Serenitatis Card. Ducis de Saxon. Archi-Episcopi Strigonienſis Universorum Bonorum Præfectum, & Consiliarium: P. D. Joannem *Antalchich* Suæ Majestatis Sacratissimæ Consiliarium, & Supremæ Tricesimæ Varasdinensis Exactorem: P. D. Joannem *Sigrai* Tabulæ Regiæ Judiciariæ Assessorem: P. D. Paulum *Acsádi* Inclyti Comitatûs Vesprimiensis Notarium. Sclopi rursus, tormentáque in Arce explosa insonuerunt.

Mox è Templo redux equum Rex conscendit, Magnatibus itidem, Cleróque omni equis invectô. Illo porro quo antè ordine, D. Michaëlis portâ egressus in eductum haud longè à Fratrum Misericordiæ Cœnobio Theatrum cum duobus Archi-Episcopis, Palati-

latino, Supremo Aulæ Cæsareæ Præfecto, Judice Curiæ Regiæ, paucísque aliis ascendit. Hìc editiore paulùm loco consistens sublatis duobus digitis usitatum Regibus Hungariæ de Libertate, Imunitatibúsque Regni tuendis jusjurandum dicit: Omnibus deîn festivè elata voce Regi vitam comprecantibus; Tertiùm militares sclopi, tormentáque gratulationis ergô insonuêre. Inde Rex conscensô equô in Mortem Regium Danubio adsitum, equitando procurrit; jámque in verticem eluctatus, eductum Vaginâ sancti Stephani gladium in quatuor Orbis partes veteri Regum instituto vibrat: tum scloporum undique, & Tormentorum fragor postremùm exauditus. Rex in Arcem Illustri deductus Pompâ, iis solùm qui Regia gestabant Insignia usque ad Conclave; aliis verò qui Vexilla prætulerunt usque ad Palatium duntaxat prosecutis.

His in hunc modum peractis, apparatum Regio cultu Convivium celebratum est. Regis manibus priusquam Mensæ accumberet, aquam affudit Archi-Episcopus Strigonienſis, mantile quô manus Rex extergeret, Palatinus obtulit: à prandio munere isto perfuncti sunt Comites Alexander *Erdôdi*, & Franciscus de *Nádasd*. Eadem Archi-Episcopis, Palatino, & Legatis Principum, ab aliis porro Comitibus officia præstita: & Archi-Episcopo Strigonienſi quidem à Comite Josepho *Eszterházi*, Palatino à Comite Antonio

tonio Juniore *Eſzterházi*, Archi-Epiſcopo Colocenſi à C. Petro Juniore *Cſáki*, Nuncio Apoſtolico à Comite Carolo *Zichi*, Sereniſſimæ Reip. Venetæ Legato à Comite Paulo de *Nádaſd*. Principe deîn loco Rex Coronâ cinctus, ac Veſte ùt erat D. Stephani indutus, prior menſæ accubuit: Dextro tum latere, tantillô diviſi intervallô, Archi-Epiſcopus Strigonienſis, Nuncius Apoſtolicus, & Principum Legati: Siniſtrô Palatinus, & Colocenſis Archi-Epiſcopus aſſederunt. Latus Regium nudo armatus enſe C. Joannes *Kéri* Agazonum Regalium Magiſter obſedit, adſtante juxtà Janitorum Magiſtro C. Marco *Czobor*, & ponè, ſcipionem manu geſtante Curiæ Regiæ Magiſtro. Ubi ità conſederunt, depoſita Regi per ſupremum Aulæ Cæſareæ Præfectum Corona, ſuper menſam in ſubſtrata aurea pelvi collocata eſt. Inferendis ad Menſam cibis præerat Magiſter dapiferorum Regalium, Comes Petrus *Zichi*: Dapiferorum verò Officio functi C. Stephanus *Cſáki*. C. Franciſcus Senior *Eſzterházi*, C. Paulus *Pethô*, C. Franciſcus *Barkóczi*. C. Thomas *Szirmai*. C. Ladislaus *Eſzterházi*, C. Alexander *Eſzterházi*, C. Sigismundus *Széchenyi*. C. Stephanus Junior *Eſzterházi*, C. Joannes *Eſzterházi*. Paulus L. B. *Mednyánczki*, Alexander L. B. *Sennyei*, Paulus L.B. *Berényi*, Gaſparus L.B. *Révvai*, Antonius L. B. *Amade*, Sigismundus L. B. *Nyári*, Gabriel L. B. *Bellovicz*, Georgius L. B. *Gillányi*, Joſephus L. B. *Maho-*

Maholányi, Nicolaus L. B. *Czápári*, Petrus L. B. *Czápári*, Joannes L. B. *Révvai*, Sigismundus L. B. *Haller*, Joannes L. B. *Makár*. A poculis ministrandis erant ij, qui extergendis manibus mantile offerebant, cum Pincernarum Regalium Magistro Comite Francisco *Botyáni*. Allata subinde desecta ex illo, quem memoravimus Bove pars, Regiis pro more Epulis accessit, reliquis interea Bovis partibus à populo direptis, ac vinô rubrô, albóque è subalto pegmate certatim in vasa subjecta exceptô. Frons verò pegmatis ipsa, Jasonis cæsíque ab hoc Draconis imagine pervenustè ornata inscriptos hos spectantibus versus exhibuit:

saCra VeLLerIs hesperIDVM
LargI Dant MVnera VIna CanaLes,
ACCIpe DVM VenIt
DonVM CornVCopIæ regIæ,
Iasone arChIDVCVM
CaroLo Magno, Donata feLIX
pannonIa.

Dum Regem festiva Palatinus hilaritate, & illo qui in hac pluribus inerat animi candore magnopere oblectat; convivalem tormentorum sonus lætitiam excepit: editóque subinde Nobilibus signô, magna festáque

ſtáque ab omnibus acclamatione, Vota pro Regis vita ſemel, iterúmque ac ſæpius data ſunt. Sublatis demum Regiis menſis, feſtis Magnates Epulis alio in Palatio aſſederunt: Nobilitate omni, Comitatuum, Civitatúmque Regiarum Legatis, in peculiari ad hoc delecta domo à Domino Perſonalis Præſentiæ Regiæ in Judiciis Locumtenente, prandiô lautô, ac Magnificô exceptis. Atque hæc de Auguſtiſſimi Rom. Imperatoris CAROLI VI. in Regem Hungariæ Inauguratione, ut quæque obvia ac proximè expoſita erant curſim carpentes, denarravimus: non quò Amplitudinem illius, & Magnificentiam ſcribendo conſequi ſperaremus; ſed ut quos in Rege inaugurando ritus, mores, inſtitutáque Hungaria nunc ſequeretur, paucis ad poſteros transmitteremus.

FINIS.



DEBRECENI EGYETEMI KÖNYVTÁR
17 15-1914 raktárszám

756530

756530

